GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
2400 RIDGE ROAD
BERKELEY, CA 94709

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/instructionesdea0000vari

239.7
B

INSTRUCTIONES

S. CAROLI BORROMÆI,

FRANCISCI SALESII, ALPHONSI LIGORII ET FRANCISCI XAVERII,

DE RECTA ADMINISTRATIONE

SACRAMENTI POENITENTIÆ.

ACCEDUNT NONNULLA DECRETA

ARCHIEPISCOPORUM MECHLINIENSIUM.

ALMA COLLEGE
239.7
LIBRARY
B 648
Alma, California

MECHLINIÆ,

TYPIS VAN VELSEN-VAN DER ELST.

1850.

16333

APPROBATIO.

Opusculum cui titulus : *Instructiones S. Caroli Borromæi et de recta administratione sacramenti Pœnitentiæ*, approbamus confessariis diœcesis nostræ plurimum commendamus.

Mechliniæ 18 februarii 1850.

ENGELBERTUS Card. Arch. Mechl.

EDITOR LECTORI.

Quum Eminentissimus ac Reverendissimus D. Cardinalis Sterckx Archiepiscopus Noster in decreto de sacramento Pœnitentiæ, in Congregatione Decanorum nuper edito, speciatim commendet confessariis, ut pervolvant monita quæ a sanctis Episcopis præsertim SS. Carolo Borromæo, Francisco Salesio et Alphonso Ligorio ad usum confessariorum diœcesium suarum edita fuerunt, rem clero gratam utilemque me facturum existimavi istorum sanctorum monita simul collecta iterum typis subjiciendo.

Exhibentur in hoc opusculo :

1° Instructiones S. Caroli Borromæi pro recta administratione Sacramenti Pœnitentiæ. Inter varios qui harum instructionum extant latinos textus (italice enim a S. Præsule conscriptæ sunt) illum prætuli quem Doctissimus Sylvius anno 1623 Duaci notis illustratum publicavit quique hanc præ cæteris habet utilitatem quod ad commodiorem usum in capita convenientissime distributus sit.

2° Instructiones pro confessariis a S. Francisco Salesio conscriptæ.

3° S. Alphonsi Ligorii monita ad confessarios et notificationes ad clerum diœcesis S. Agathæ Gothorum in quibus plurima occurrunt quæ administrationem sacramenti Pœnitentiæ concernunt. Utraque ex Italico sermone translata, prima, ni fallor, vice typis Belgicis prodeunt.

4° Ex vita S. Francisci Xaverii per Horatium Tursellinum descripta regulæ, quas ad munus confessarii rite obeundum vir sanctus sequebatur et aliis commendare solebat.

5° Tandem nonnulla decreta Archiepiscoporum nostrorum ex quibus confessarii tutam agendi regulam discernere queant, scilicet decretum Ill. ac Rev. D. Humberti a Præcipiano de die 12 Octobris 1692, ore apostolico Innocentii XII laudatum. Decretum ejusdem Humberti et aliorum ordinariorum Belgii de die 23 Aprilis 1697; ac tandem decretum Eminentissimi Cardinalis Nostri de quo in initio mentionem feci. Faxit Deus ut hoc opusculum ad confessariorum levamen animarumque salutem abunde proficiat!

—

INSTRUCTIONES
S. CAROLI BORROMÆI,
DE RATIONE ADMINISTRANDI
SACRAMENTUM POENITENTIÆ.

CAPUT I.
QUID IN CONFESSARIO NECESSARIUM.

Ut Confessarii Pœnitentiæ Sacramentum administrent eo cum fructu, qui maximus esse possit; is vero in sincera vitæ emendatione positus est; neve in tanti ponderis negotio cum propriæ conscientiæ summo onere convenientem non adhibuisse diligentiam videantur (id quod summopere timendum est multis, ne scilicet in gravem reprehensionem inciderit eorum industria, quum de tanto numero confitentium tam exiguam emendationem videamus in iis qui toties, et tam multis abhinc annis hoc Sacramentum frequentarunt) præceptiones, et admonitiones nostras omnes jam pridem diversis temporibus hac de re datas in unum contulimus, atque alias quasdam iis adjunximus, quas in hunc finem utiles et necessarias esse sumus arbitrati. Quamobrem per viscera misericordiæ D. N. Jesu Christi eos exhortamur, ut quemadmodum eorum officium, et vocatio requirit, hac in causa, et negotio quod ad animarum salutem usque adeo perti-

net, summa cum diligentia nostræ sollicitudini cooperari velint, nostramque intentionem in eo positam, ut populus Christianus, quem Dominus nobis regendum tradidit, in viam salutis commode dirigatur, promovere pro sua virili studeant.

Nullus neque sæcularis, neque regularis Sacerdos Pœnitentiæ Sacramentum aggredi præsumat, si non approbationem, et licentiam ante nostram in scriptis habeat, ut rite Concilium Tridentinum ordinavit; sin aliter fecerit, excommunicationis pœnam ipso facto, juxta primi Concilii nostri provincialis (*a*) decretum, incurrisse se noverit; et si sacrum Missæ officium postea celebret, irregularis erit.

Caveat autem sibi quisque hac in re, ne prætextu minoris ætatis, se abduci a recto patiatur, quasi pueri sint, qui nondum ad usum rationis pervenerint, quorum audit confessiones: solet enim usu venire, ut in pueris etiam, quamvis in ætate sint adhuc tenera, peccata mortalia inveniantur. At vero nemo per speciem necessitatis alicujus se falli sinat, nec necessitatem interpretetur pro quavis ægritudine, etiam si gravis, et periculosa illa sit, quum ad proprium Pastorem, aut alium Confessarium a nobis approbatum recurri potuisset. Imo nullus huic se negotio pergat interponere, quamvis a Pastore ejus qui confiteri cupit, vel Vicariis nostris consensum obtinuerit, nisi tales ii sint, qui specialem a nobis acceperint potestatem, ut eam alteri concedere deinde possint.

(*a*) Recte dicit: juxta decretum Concilii Mediolan. Quia jure communi non est excommunicatio lata in talem Sacerdotem, sed certis quibusdam locis statuto synodali, ut *Cameraci* per *tit.* 7 *antiquorum decretorum*. Sciendum autem quod non sit reservata.

(*b*) Sacerdotes autem qui confessiones audiendi licentiam a nobis obtinuerunt cum definita temporis, loci, certarumque personarum limitatione, videant ne potestatis concessæ limites ullo modo excedant.

Prima cum opportunitate regularium Superiores ca-

(*b*) Nobis etiam probabilior semper visa est sententia eorum, qui affirmant, approbatum ab Ordinario pro confessionibus certo loco audiendis, non censeri approbatum pro aliis locis, ne quidem ejusdem diœcesos. v. g. Approbatus, ut parochianos *Cameracenses* audiat, non est approbatus, ut de Pastorum venia excipiat confessiones *Valencenensium*, *Montensium*, aut aliorum; quoniam approbatio, quam *Syn. Trid.* requirit ut necessariam, vel est sine limitatione (quo casu per totam illius Ordinarii diœcesim posset audire, qui sic approbaretur, non tamen per alias ut declarationem Concilii intellexerunt Patres *Mechlinienses* in *Synodo Provinc.* 2. *tit.* 5. *c.* 1.) vel expressam habet limitationem ad locum, aut personas determinatas; ac tum juxta illam debet unusquisque agere, et serio (quemadmodum hic monet S. Carolus) videre, ne potestatis concessæ limites ullo modo excedat. Neque enim vel idem judicium est potestatis limitatæ, quod absolutæ; vel limitatio frustra exprimitur: sed nec idoneus pro uno loco, continuo idoneus est pro aliis. Hinc est, quod Ordinarii parati sint quidem admittere et approbare pro uno vel altero loco, qui tamen non essent eosdem admissuri pro tota sua diœcesi. Consentit his *Martinus Rythovius* in sua *Syn. Ipr. tit.* 16 *cap.* 9. dicens: *Quicunque secundum dictum decretum* (sess. 23. cap. 15. Conc. Trid. *admissi fuerint; caveant, ne aliquos ad confessionem recipiant, pro quibus non obtinuerint literatoriam potestatem.*

Hac occasione reticendus non est eorum Parochorum error, qui parochianos alienos absolvere tentant, non habita prius Parochi illorum venia, imo Parochis interdum repugnantibus. Tales enim absolutiones, quum proficiscantur ab eo, qui non habet jurisdictionem in eum, qui confitetur, irritæ sunt ac nullæ, ut monuit III. D. *Franc. Buisseret* in *Synod. Namur. tit.* 6. *cap.* 4. Nam, ut dicitur in *Syn. Audomar. cap.* 14. *tit.* 7. quod statuitur canone. *Omnis utriusque sexus*, proprio sacerdoti seu Pastori singulis annis confitendum esse cuique semel; non ita intelligendum venit, quasi alias liceat cuique confiteri cui velit, sed sic, ut fideles, qui regulariter non tenentur ex jure ecclesiastico sæpius confiteri per annum, teneantur saltem ad semel confitendum in anno, et quidem suo proprio Sacerdoti, vel alteri de ejus facultate. Si autem velint pluries quam semel confiteri, ad quod sunt cohortandi, debent eam confessionem similiter facere proprio Parocho, vel alteri, de ipsius facultate, salvis tamen Religiosorum privilegiis.

talogum Confessariorum quos ad hoc officium elegerint, quive in hac civitate, vel diœcesi nostra habitant, nobis exhibeant, quo eorum nomina, cognomina, et natale solum habeantur.

Sed quia sæpius contingit, ut per suorum obedientiam mutentur, idcirco bis in anno prædictum catalogum nobis offerent; primum quidem ad primam septimanam Adventus, secundum deinde primis feriis Quadragesimæ. Confessarii autem, qui in nostra diœcesi versantur, Pastoribus, aut Vicariis foraneis, testimonium admissionis suæ, qua ad hujusmodi munus idonei esse judicati sunt, quotiescunque ab eis exige tur, ne recusent ostendere: in templis vero in quibus plures sunt Confessarii, in foribus sacrarii tabula suspensa habeatur, quæ omnes ejus templi Confessarios a nobis approbatos contineat, quæ toties mutanda erit, quoties alii deligentur.

Confessarii qui a censuris et casibus reservatis absolvendi potestatem a nobis habent, summa cum prudentia eam exerceant, ut sit ædificationi potius, quam destructioni locus: quamobrem si in utilitatem et auxilium pœnitentis qui in aliquod ejusmodi peccatum inciderit, judicent expedire ad nos eum remittere, admoneatur ut id facere debeat.

Omnes confessarios quamvis a nobis ut idonei semel admissi fuerint, tamen ob graves, et diversos scrupulos, qui pœnitentibus in dies occurrunt, et plurimas difficultates sibi cohærentes habent, prænonitos volumus, ut bonos, et classicos auctores nonnullos, qui casus conscientiæ ex professo tractant, manibus continue terant, quod si non videantur sibi satis judicii,

et doctrinæ comparasse, ut possint quæstiones objectas resolvere, meminerint adire doctiores, et in talibus melius versatos. Sciant autem nos in hunc finem dedisse speciatim eas partes Pœnitentiario majori Ecclesiæ nostræ metropolitanæ, ut cum Theologis, et Juris Canonici peritis, siqua dubia, et controversa circa res conscientiæ in hac nostra diœcesi obveniant, de iis conferat, et diligenter discutiat, ut postquam res graviores nobis communicarit, omnem dubitationem eximat iis qui ipsum consulendi causa accedent.

Examinent præterea vires ingenii, et scientiam quam habent, nec se temere ad confessiones audiendas eorum ingerant, quos censuris ita quibusdam involutos esse suspicantur, ut sese inde satis explicare nesciant.

Bonam habeant notitiam censurarum, et casuum reservatorum, particulatim autem Bullæ in Cœna Domini legi solitæ : similiter Canones pœnitentiarios, et nostras has admonitiones sæpius legant.

CAPUT II.

DE DISPOSITIONE CONFESSARII.

Quum dubium non sit, quin is, qui peccato (*a*) mor-

(*a*) Omnino suadenda est confessio tali Sacerdoti, priusquam Sacramentum Pœnitentiæ administrare incipiat ; si tamen ea non neglecta, sed in aliam commoditatem dilata, officium illud aggrediatur cum sincero animi dolore, peccatique sui detestatione, ac proposito in posterum abstinendi, confitendi et satisfaciendi ; quamvis ejus contritio tanta non sit, ut eum Deo jam reconciliet, vereque justificet per inhærentem et diffusam charitatem : existimamus tamen, quod mortalis peccati reatum effugiat. Videantur *Sylvester* verbo *Confessio*, 1. *q.* 2. *Jo. Medina cod. de pœnit. tract.* 1. *q.* 13. *Victoria q.* 135 et 136 *de Confessione*, *Molanus*, *Binsfeldius*, et alii.

tali infectus , Sacramentum quodvis administrat , novo scelere rursus obstringat ; diligenter observent , qui Confessarii partes agunt , ne cum peccati mortalis conscientia confessiones audiant , multo minus id audeant , si qua censura teneantur Ecclesiastica legati.

Qui vero fervidi animi Confessarius est, animarumque salutis studio tenetur , ut eas ad virtutes indicat , divinisque remediis adjuvet , quibus contra peccata vel pœnitens utatur , vel ab eisdem abstrahatur ; qui doceat itidem dæmonis astutias perspectas habere ; qui demum pœnitentem exuere veterem hominem , et novum induere laboret, ac confingere in eo formam aliquam , speciemque perfecti Christiani ; non satis id sibi habere debet , si nulli peccato mortali obnoxius Sacramentum Pœnitentiæ ministret, sed quum facile cognoscat , magnopere referre ad præstandum ea, quæ dicta sunt , prius in se ipso exprimere , quæ in altero videre desiderat , quandoquidem plus exempla , quam verba commovent animos ; neque quis aliorum animis ingenerare virtutem potest, quam ante non in se possideat ; idcirco perfectionis suæ totus amore ferveat , necesse est, atque iis in virtutibus acquirendis operam diligentem ponat , quibus ipsa perfectio acquiritur.

Sed quoniam Regulares , quum ad confessiones audiendas emittuntur , solum examinari solent , sintne sufficientes, et doctrinam justam habeant , neque nos aliter perspectos mores eorum , et bonitatem vitæ probatam tenere possumus ; ideo Superiorum eorum conscientias oneramus , ut ad hujusmodi provinciam non alios nobis in publicum deducant, quam qui probitate atque integritate vitæ tales sint , qui laudabiliter hoc

Sacramentum exhibere queant , cujus quidem rei scripto nobis fidem dabunt , nec aliter eos admittimus.

Prompto ac parato animo ad confessiones audiendas accedant , evitentque diligenter, non solum ad subterfugiendum laborem , nec submoveant intempestive venientes ad se confitendi gratia ; sed neque signo , aut verbis ullis præ se ferant , ægre se gravatoque animo confessiones eorum excipere ; quo potius ita se comparent , ut intelligant pœnitentes , eos salutis eorum causa multum solatii et gaudii ex iis laboribus haurire.

Ex hac eorum alacritate nascetur etiam hoc commodi, ne pœnitentes excusationem justam prætexere possint, se non esse confessos , maxime quibus temporibus ad id tenentur , per speciem quasi commoditatem non habuerint. Præterea autem admonemus Confessarios , si vel ad exequias , vel quævis alia Ecclesiastica munia illos evocari contingat, nisi causa prorsus sit necessaria, ut ne confessiones propterea vel interrumpant , vel intermittant in diebus , quibus frequentiores solent occurrere , maxime octiduo , aut amplius ante diem natalem D. N. Jesu Christi , in Quadragesima , et præcipue circa medium illius usque ad octavam Paschæ , nonnullis etiam diebus , quum Jubileum promulgatum est , aliisque solennioribus Festis , quibus , ut plurimum , populus , vel omnis , vel ex majori parte ad confessionis Sacramentum confluit.

Cupimus etiam in hunc finem Superiores Regularium certiores ea de re redditos ut prædictis temporibus procurent , quantum potuerint numerum maximum Confessariorum , qui doctrina et timore Domini insig-

nes , atque a nobis approbati in suis Ecclesiis pœnitentes audiant.

CAPUT III.

DE CONFESSIONE INFIRMORUM AUDIENDA.

Quoties Regulares ad ægrotantium confessiones excipiendas accersuntur, si necessitas aliud non suadeat, ex Pastore prius intelligant , quæ conditio , et status sit ægroti , ut tanto diligentius animadvertant , si quid allevamenti conscientiæ illius præberi valeat , præsertim in summo temporis illius articulo , in quo velut in cardine vertitur aut anim.æ salus, aut perditio æterna : quod si temporis brevitas non patiatur ante confessionem id fieri , saltem ab audita confessione quam citissime fiat , ut tam ipse Confessarius , quam Pastor in procuranda hominis infirmi salute suo officio non arguantur defuisse.

Quum primum Sacerdos Sacramentum Pœnitentiæ cuipiam ægroto ministraverit , in schedula subscribat ; quæ , qualis esse debeat , infra dicetur ; eaque fateatur , se pœnitentis confessionem excepisse : quod ideo fit, ne Medici curam suam subtrahere infirmis cogantur, juxta Bullam fel. mem. Pii V , et Decretum primi nostri Concilii Provincialis , et ne per negligentiam Confessariorum in dicta fide præstanda , sumant occasionem excusandi se ab observantia præfatæ Bullæ , et Decreti.

CAPUT IV.

DE LOCO AUDIENDARUM CONFESSIONUM.

Popularium in domibus confessiones nemo audiat, nec virorum, nec fœminarum, cujuscumque vel ordinis, vel conditionis illi fuerint, nisi dum ægrotant; quod quum fit, et mulierum confessiones Sacerdos excipit, ostium apertum sit, ita ut ab iis, qui in vicinis locis agunt, conspici possit.

Extra eam necessitatem confessiones mulierum non audiant, ne etiam si vel leviter illæ reconciliari tantummodo vellent, præterquam in templo, et sedilibus ad id destinatis, sed neque tum quidem in eo loco, nisi post ortum solis, et ante ejus occasum audiantur.

(*a*) In illis ipsis sedilibus quotidiano ritu confessiones audientur etiam virorum, si qui solent in templo confiteri. Hanc ob causam omnibus in templis sedes (*b*)

(*a*) Sedilia deberent pro numero Confessariorum talia in singulis Ecclesiis erigi, quæ Confessarium a pœnitente uno assere, ac pœnitentem a sequentibus alio item assere disjungant; ita tamen, ut in medio asseris, dividentis Sacerdotem a pœnitente, fiant cancelli cum asserculo, ac etiam (ut expediret) velo, quem asserculum Sacerdos aperire possit et claudere. Atque extra hujusmodi sedilia nemo deberet fœminarum confessiones audire, nisi ob necessitatem. De his, quum in Decretis Reformationis *Francisci Bonhomii*, titulo: *Confessionale*, actum est, subnectitur: *Affixæ vero intrinsecus sint Litteræ Processus in Cœna Domini, ut singulis annis a Summo Pontifice promulgantur, et Tabula item Casuum Reverendiss. Episcopo reservatorum, et Pagella præterea, in qua forma Absolutionis rite descripta sit. Ab exteriori autem parte, ante pœnitentis oculos sanctissima JESU-CHRISTI Crucifixi Imago, si non coloribus distincta, saltem in chartula aliqua diligenter expressa. Illud autem* (sedile) *in aperto omnino, non usquam obscuro Ecclesiæ loco collocetur, ut tam confitentes, quam Confessarius Sacerdos ab omnibus facile conspiciatur.* Confer. c. 11. *tit.* 8. *Syn. Diœces. Camerac. anni* 1604. *et Syn.* 2. *Provinc. Mechlin. tit.* 5. *c.* 5.

(*b*) Cum his conveniunt, quæ habentur in eadem *Syn. Camerac.*

hujusmodi tam multæ construantur, quam multi solent esse Confessarii. Sint autem omnes ad eam formam exædificatæ, quemadmodum ordinavimus generatim eas debere construi.

(c) Constituantur autem prædictæ sedes loco tam aperto, ut ex omni parte conspici possint; quod si præterea locus haberi talis possit, ut obstaculum aliquod intercedat, ut dum quis confitetur, interea cæteri a spatiis plus æquo propinquis arceantur, id fiat; ubi vero malus mos aliquid obtinet, Confessarii partes erunt, sedem ipsam loco movere, simul et populum nimis vicinum, antequam consideat, propellere: quod idem faciet, dum in confessionibus versatur, si occasio requiret.

CAPUT V.

DE DISPOSITIONE PRÆVIA AUDITIONI CONFESSIONUM.

Confessarius in hujus Sacramenti administratione, sic animi sui propositum ordinet, ac dirigat necesse est, ut nullus eum intuitus humanus eo protrahat, sed sola Dei gloria, et animarum salutis desiderium:

c. 12. et quæ in *Provinc. Mechlin.* an. 1607. tit. 5. c. 2. Confessarium, ut judicem, non nisi sedentem debere, sive sæcularium, sive Sacerdotum, etsi in dignitate constitutorum, confessiones audire.

(c) His similia præscribuntur in novo *Manuali Camerac.* his verbis: *In Ecclesia, non in privatis ædibus, Confessiones audiat, nisi in casu infirmitatis: et tunc quidem decenti et aperto loco, non clauso, si mulieris Confessionem excipit. Habeat in Ecclesia sedem confessionalem cum cancellis, in propatulo positam, ut undique conspici possit: in qua tanquam Judex sedeat, adhibito lumine, si tenebræ sunt.* Quomodo etiam loquitur Episcopus *Atrebat.* in suo *Man.* hoc anno 1623 edito.

quo circa quoties vel evocabitur ad confessiones audiendas, vel ad eas sese conferet, totus in Deum erectus, cum ipso opere mentis oculos in hunc finem conjiciat, et diligenter attendat, se eo pergere, ut pœnitentes prætiosissimo Salvatoris nostri Jesu Christi sanguine abluat ac mundet.

Sed quia in hujus Sacramenti tractatione multa inveniuntur pericula, ne scilicet errent in variis quæstionibus, et obligationibus decidendis, quæ in illud forum veniunt, vel absolutionis gratiam re ipsa indignis impertiant, vel aliquo modo animam suam inquinent, dum multorum inquinamenta, fœditatesque audire necessarium est, nunquam ad tantum hoc officium sese Confessarius accingat, quin prius brevi aliqua oratione, prout res feret, lumen et gratiam a Domino petat, ut non solum in nullam reprehensionem vel errorem incidat, verum aliorum sordes sic abstergere valeat, ut se ipse non polluat: simul etiam Deum orabit pro vera emendatione eorum, quorum confessiones auditurus est. Habeant igitur singuli versiculos illius Psalm. 50. et orationem antiquis temporibus ab Ecclesia usitatam penes se in scriptis, cujus quidem alterum exemplar in sacrario cujuslibet templi (in quo sunt Confessarii) deinde alterum introrsus in ipsis sedilibus, volumus affigi, ut antequam ad confessiones aggrediantur, eam vel similem aliquam, prout cujusque pietas feret, apud se legant:

℣. *Cor mundum crea in me Deus.*

℟. *Et spiritum rectum innova in visceribus meis.*

℣. *Ne projicias me a facie tua.*

℟. *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.*

V. *Redde mihi lætitiam salutaris tui.*
R. *Et spiritu principali confirma me.*
V. *Docebo iniquos vias tuas.*
R. *Et impii ad te convertentur.*
V. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.*
V. *Et exultabit lingua mea justitiam tuam.*

ORATIO.

Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut digne possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam magnam misericordiam, ministrum fecisti officii sacerdotalis, et me exiguum, humilemque mediatorem constituisti ad orandum, et intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum pro peccatoribus, et ad pœnitentiam revertentibus. Ideoque dominator Deus, qui omnes homines vis salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant; suscipe orationem meam, quam fundo pro famulis et famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt, ut des illis spiritum compunctionis, resipiscant a diaboli laqueis, quibus adstricti tenentur, ut ad te per dignam satisfactionem convertantur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum.

CAPUT VI.

DE HABITU AUDITURI CONFESSIONIS.

(*a*) Sacerdotes sæculares non nisi toga et stola decenter amicti, pœnitentes audient: quod etiam tum

(*a*) Consentit *Martinus Rythovius* in *Syn. Iprensi cap.* 13. *tit.* 16. decenti habitui, quem in Confessario requirit, addens, ut

fieri volumus cum ægrotantium excipiunt confessiones, licet id faciant apud eos domi.

Nullorum excipiantur confessiones, nec in civitate, nec vero in tota diœcesi nostra, sine nostra vel vicariorum foraneorum expressa licentia post Dominicam Palmarum usque ad diem integrum Paschæ peractum, nisi eorum qui paulo ante confessi sunt, aut saltem à Quinquagesima præcedenti : (excipimus semper ægrotos) cæterorum vero confessiones infra octavam Paschæ differantur, secundum constitutionem nostram (*b*) Pastoribus datam, idque graves ob causas in ea declaratas.

Si quem deprehenderint qui sine ratione legitima Confessarium suum deserat, qui quidem perappositus erat alioqui ad illum in viam salutis dirigendum, conetur eundem peropportune reducere, tum reprehensa perniciosa hominum negligentia, qui Confessarium doctum et prudentem sibi deligere negligunt ; tum quasi noxia et vitiosa frequenti mutatione Confessarii detestata : quemadmodum enim Medici qui naturam temperamentumque corporis in infirmis perspectum habent, non facile permutari solent, quod morbis

etiam superpelliceo sit vestitus. Et in antiq. Decretis *Camerac. tit.* 4. statutum legitur, ut Sacerdos confessiones audiat indutus superpelliceo cum stola. In *Syn.* autem *Provinc.* 2. *Mechlin. tit.* 2. *cap.* 2. sic habetur : *Sacerdotes sæculares, non nisi superpelliceo induti, in locis sacris, sæcularium Confessiones accipiant : Pastores vero et Vicepastores etiam stolam superaddant.* In hac varietate, servet unusquisque morem suæ Diœceseos : ac ut minimum, Sacerdotes sæculares toga et pileo induti Confessiones audiant, addita, quum fieri commode potest stola.

(*b*) Cum hoc statuto convenit *Syn. Camerac. tit.* 8. *c.* 16. *Syn. Audomar.* sub *Jo. Six. tit.* 7. *cap.* 7. *Syn. Ipr.* sub *Mart. Rythovio tit.* 16. *cap.* 6. ubi decernitur, ut qui a Paschate superioris anni non sunt confessi, et confiteri cupiunt in hebdomada majori ; si expedire judicabitur, rejiciantur in sequentes dies, non tamen facile ultra octavam Paschæ.

necessaria facilius invenire remedia norint ; sic neque videntur pœnitentes , nisi magno delectu , a medicis suis discedere debere, quum ii melius animarum vulneribus adhibere opportuna ac utilia instituta possint. Si tamen justa de causa Confessarius aliquem ad se venire permittat, qui pii, et prudentis alterius (c) in confitendo consiliis ante utebatur, utile erit id cum illo ipso communicare , vel saltem dare operam, ut pœnitens ab eo abeundi honestam licentiam nanciscatur.

Confessarii omnes , præcipue si qui in nostra Diœcesi eo munere funguntur , curare debent, ut inter eos, et Parochos locorum ubi confessiones audiunt , bene conveniat , sive quum illorum ibi sint monasteria in propinquo , sive quum ob habitas Conciones , sive ob aliam quamcumque causam confessiones audiunt. Itaque non absolvant eos qui vel ob exempla vitæ impiæ , et in eo statu perseverandi pertinaciam , vel quod ad pœnitentias publicas , sive legata pia, vel similia quædam tenebantur ; atque ideo à Pastoribus suis absoluti non fuerint. Proinde sæpius Regularium Superiores suos admoneant hujus rei necesse est ; præcipue autem ad animorum concordiam , quæ ad ædificationem

(c) Ne Confessarii de peccatis in confessione auditis conferant inter se , nisi magna quædam necessitas id postulet ; tunc autem ita discrete id faciant , ut in personarum cognitionem , ne per suspicionem quidem , venire possit ; et Sacramenti honor requirit, et statutum fuit in *Syn. diœces. Camerac.* anni 1604. *tit.* 8. *cap.* 8. Quare , quod S. Carolus hic monet, utile esse communicare cum Confessario priore ; ne intelligas de communicatione peccatorum , vel status pœnitentis , sed de eo , quod talem pœnitentem justa de causa permittat ad eum ire : non exprimat tamen Confessarius causam , si ea vel Confessario priori videatur fore ingrata , vel ab aliqua peccati confessi circumstantia pendeat , vel inutile sit eam exprimi. Quæ de Confessarii mutatione possent hic notari , vide ad *cap. ult.* hujus *Partis.*

quoque plurimum valet, diligenter eos exhortentur, præmoneantque si in quæstionis alicujus explicatione inter eos et Pastores sentiendi quædam accidat diversitas, ut ea cum prudentia sese gerant, ne ad vulgi aures ea perveniant, quin statim ad nos potius pro rei controversæ definitione accurrant.

CAPUT VII.

DE HABITU CONFITERI VOLENTIUM.

Meminerint ad sacramentum Pœnitentiæ non permittere venire eos, qui sine convenienti tum exteriore, tum interiore animi præparatione volunt accedere, quin magis verbis charitatem spirantibus pro captu cujusque tales alloquantur, et dicant ubi sese melius pro dignitate tanti Sacramenti disposuerint, ita demum ad se revertantur.

Itaque mulierum earum confessiones non audiantur quæ cerussatæ veniunt, quæ fucis utuntur, quæ faciem stibiis depingunt, quæ ex auribus monilia gestant, quæ levibus, et vanis ornamentis, quæ pannis aureis, aliisve similibus lasciviis promptæ ac comptæ accedunt; et (ut semel omnia dicam) quæ vestes modestas non habent, nec simplici cultu incedunt, nec in capite velum aliquod gerunt, quod notabiliter non transpareat, quæve saltem operimentum ex lino, lanave confectum, vel peplum sobrii alicujus coloris non habent: sic enim hujus Sacramenti reverentiam decet, et ita prorsus cognitioni peccatorum, et de eisdem dolori intimo consentaneum est, quum scilicet cogitare debeant quod ante tribunal, et judicium Domini Dei sui

se sistant, ac quasi peccatrices misericordiam, et veniam suppliciter de eisdem imploraturæ veniant.

Idem necesse est in viris observetur, ut videlicet ad confessiones non admittantur, qui vestitu viro indecenti, qui auro intextis palliis utuntur, qui lascivis pileorum ornamentis induti sunt, qui item cum armis accedunt, aut similibus rebus.

CAPUT VIII.

DE PRÆPARATIONE ANIMI POENITENTIUM.

Majus multo studium Confessarius ponat in interiore animi præparatione (quando necesse est) prudenter inquirenda; ea enim plane ad hoc Sacramentum requiritur, cerniturque maxima in seria, et solida peccatorum examinatione quæ ad unumquemque pertinet, ita ut universi, quantum in se est, eum animi dolorem, qui jure in hoc Sacramento requiritur, habere conentur, cum firma, ac constanti deliberatione animi, tum pro præteritis satisfaciendi, tum vitam in posterum emendandi. In quibus igitur eam præparationem desiderari animadvertent, verbis benevolis persuadere conabuntur, ut denuo conscientiam suam diligentius examinent, ac recte sese præparent.

Signa autem ex quibus conjectura capi potest, eos sine justa præparatione ad Sacramentum venire, hæc sunt: si ad confessionem properant, quasi ab ipsa occupatione rerum suarum avulsi, nullo temporis spatio prius in orationem collato, vel si eos peccatorum nullam habere cognitionem appareat: deinde si confessarius jam tum præsciat, quod a Confessione nihilo minus ac ante suis in peccatis sint perseveraturi,

sive quod in se peccatum mortale quodpiam teneant, vel quod occasionem quæ ad mortale pertrahat, amplexi teneant, nec ei valedicere velint, sive quod aliena bona, quum possint, restituere negligant.

Advertat tamen Confessarius, si pœnitentes studii nonnihil a se præstitisse ad eam præparationem, de qua dictum est, consequendam viderit, observet tamen vel ob eorum ruditatem, vel quid aliud, necessario aliquid iis deesse, ut ipsemet quod deest suppleat sua industria, et ad cognitionem majorem eos inducere adlaboret : quod fiet optime si peccati turpitudinem et gravitatem ponat illis ob oculos, quippe quod Deo adversetur vel maxime, ac damnationis æternæ malum peccanti infinitum adferat, atque hoc pacto pœnitentem inflectere, et sic effingere conetur, ut de universis, et singulis peccatis mortalibus tam acrem animi dolorem persentiat, ut secure eis absolutionis beneficium possit impertiri.

Præterea pœnitentes, sed eos præcipue qui rarius confitentur, pro judicio, et necessitate cujusque, rationem ac methodum quandam bene confitendi diligenter edoceant, ac speciatim quantum intersit, ut integra sit confessio, aliasque circumstantias quæ ad eam requiruntur, et quam vim illæ habeant, exponant.

CAPUT IX.

DE CONFESSIONIBUS PUERORUM AUDIENDIS.

Consuetudo honesta est, puerulos, etiamsi quintum aut sextum ætatis annum necdum excesserint, ante Confessarium adducere, ut sic incipiant paulatim in-

strui, ac manu quasi in cognitionem, atque usum hujus Sacramenti transferri: caveant tamen accurate Sacerdotes ne absolutionem cum Sacramento, iis præbeant, in quibus nec idonea materia, nec ea rationis plenitudo reperitur, ut citra controversiam judicare possint eos hujus Sacramenti capaces esse: operam tamen majorem collocabunt cum iis qui septimum aut octavum annum jam attigerunt, quantum puerilis ætas ferre videbitur, ut hujus Sacramenti necessitatem et virtutem, necnon modum quo suscipitur, perspicue intelligant.

(*a*) Qui vero confessiones audiunt puerorum aut puellarum qui jam annos decem vel duodecim numerant, quos proinde aptos ad venerabile Sacramentum Altaris propediem fore existimant, solerter videant, ne vel sua vel parentum negligentia et socordia, absque gustu tanti thesauri spiritualis eos patiantur adolescere: quin potius quanta minori cum productione temporis, quamque diligentissime fieri poterit, doceant eos quæ ad hoc Sacramentum percipiendum necessaria sunt, fructusque innumerabiles inde manantes, tum quanta animi demissione, ac reverentia, quamque magna conscientiæ puritate opus sit.

Cæterum, postquam iterum atque iterum eorum confessiones jam audierint, vel se Venerabile Sacramentum eis porrigant, illiusque rei fidem scripto faciant, ut Pastori suo exhibeatur, quo deinceps in

(*a*) Cum iis, quæ hic dicit S. Carolus, omnino confer *cap.* 1. hujus 2. *Part.* subinde enim in Pueris, in quibus minime credas, inveniuntur peccata, etiam mortalia: et in unis tardius, in aliis vero citius adest usus rationis sufficiens ad peccandum. Ideo prudenter cum illis agendum, ut deprehendatur veritas, et non doceantur peccare.

Paschate ad communionem Pastor eos cum cæteris adjungat; vel ad eam sumendam instructos et idoneos esse scriptis declarent atque proprium ad Pastorem amandent.

CAPUT X.

DE INITIO CONFESSIONIS.

In ipso aditu Confessionis, antequam peccata sua quis enumerare pergat (Confessarius maxime si cum rudioribus hominibus agit, quive rarius confitentur) debebit quasdam interrogationes præmittere, quibus in decursu Confessionis omnia commodius cedent: sunt autem interrogationes hujusmodi.

Primum si certum non habet, pœnitentem ex eorum numero esse quos absolvere recte possit, interroget quomodo id sit; si non esse talem inveniat, quam primum ad alium qui absolvendi potestatem habet, remittat: sin aliter est, et tamen nihilo secius pœnitentem satis non agnoscit, quærat secundo loco quo in statu res ejus sint, cujus ipse conditionis sit, quam professionem aut artem tractet, quod officii genus, ut plurimum, exerceat: interrogabit deinde, quantum temporis intercessit quod confessus est, interim in memoriam ei redigens, quam magnum emolumentum parere soleat crebro interata Confessio: tum petet utrum pœnitentiæ nuper præscriptæ sibi fecerit satis; quæret etiam, si norit articulos fidei, præcepta decalogi, et S. Matris Ecclesiæ: quod si nesciat, tum se geret eo modo cum pœnitente, quem inferius indicabimus.

Quærat utrum diligentiam, atque industriam congruentem in conscientia bene examinanda collocarit; quæ sane tanta requiritur, quanta in negotio quovis maximi ponderis inesse solet: res enim vere operosissima est, ad Sacramentum Pœnitentiæ rite accedere; atque hoc loco si necessitas efflagitet, eum de utili quodam modo examen conscientiæ faciendi instituat, quænam ratio sit ad memoriam revocandi peccata commissa, cum iis quæ circumstant omnia, nimirum ut ingrediatur in seipsum, vitæque tempora speciatim percurrat, initio quidem quantum ad ætatum momenta, pueritiam scilicet, juventutem, et cætera pertinet: secundo quantum ad status mutationem; quod si uxorem duxerit, quomodo ante, quomodo post Matrimonium contractum sese gesserit: tertio quantum facit ad vicissitudines humanæ vitæ, in rebus prosperis videlicet, et adversis, in sanitate et ægritudine, tempora varia, officia diversa quæ exercuit, sodalitia, loca, regiones, in quibus egit et versatus est: circa hæc omnia videat, an corde, lingua, vel opere peccaverit aliquando.

Ad hæc conditiones quæ ad confessionem perfectam requiruntur, quanta poterit brevitate, et facilitate illi proponet; poterit vero ad quatuor, vel quinque præcipuas reducere illas de sedicem a Doctoribus sæpe commemoratas, quæ his versibus continentur.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta et lacrimabilis, accelerata,
Fortis et accusans, et sit parere parata.

Rogabit an recordetur se, vel in casum aliquem

reservatum, vel excommunicationem incidisse, vel quod aliud impedimentum habere, a quo probabiliter arbitretur quod absolvi non possit : si quid hujusmodi in exordio, vel in ipso decursu Confessionis reperiat, ne procedat ulterius : sed significet pœnitenti (*a*) eum a se absolvi non posse, verum necessarium esse ut aut Nobis, aut Pœnitentiario majori Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, aut alteri, cui a similibus casibus absolvendi potestas collata est, se exhibeat ; si tamen ratio ali-

(*a*) Ex his intelligi potest, S. Carolum existimasse, pœnitentem, qui aliquem habet casum reservatum, non posse prius absolvi a non reservatis per Confessarium inferiorem, ut postea remittatur ad superiorem pro reservatis. Quum enim Confessarius deprehenderit, pœnitentem habere talem aliquem casum, *ne* (inquit) *procedat ulterius : sed significet pœnitenti, eum a se absolvi non posse.* Et quamvis non ignoremus, Auctores bonos aliter sentire, omnino tamen videtur, hæc sola sententia ad praxim reducenda, ut scil. pœnitentem, qui casum habet reservatum, etiam ab omni censura sejunctum, Confessarius non habens facultatem absolvendi a reservatis, nullo modo absolvat, ne quidem a non reservatis : sed vel facultatem eum absolvendi prius obtineat a Superiore, vel eum remittat ad Superiorem. Ita sentiunt *Ricard in* 4. *d.* 17. *Adrianus q.* 4. *de Confessione. Pesantius ad Supplem. q.* 10. *dub.* 7. *Vasquez tom.* 4. *in* 3. *p. q.* 19. *dub.* 9. et probatur, quia, quæ Superior per potestatem clavium retinuerit aut ligaverit in terris, erunt retenta vel ligata in cœlo. *Matth.* 16. 18. et *Joann.* 20. Sed Superior retinet peccata reservata, ligatque tum inferiorem Sacerdotem, ne possit ab eis absolvere ; tum pœnitentem, ne possit ab eis per illum Sacerdotem inferiorem absolvi : ergo illa peccata manent coram Deo retenta, manentque ligati, tum pœnitens, tum inferior Sacerdos. Si vero Sacerdos inferior posset absolvere a non reservatis, ejus potestas non foret ligata, neque peccata manerent retenta. Quum enim extra dubium sit, unum peccatum mortale non posse remitti sine alio ; si Sacerdos inferior remitteret peccata non reservata, ex consequenti remitteret etiam reservata. Deinde, Sacerdotes inferiores nihil possunt extra mortis articulum in casibus reservatis, ait *Syn. Trid. sess.* 14. *cap.* 7. ergo non possunt eos remittere, seu ab eis absolvere coram Deo, ne quidem ex consequenti vel indirecte, nisi habeant potestatem a Superiori acceptam. Omnino confer, quæ diximus ad *Suppl. q.* 20. *art.* 2. *quæsito* 3. et vide novissimum *Manuale Camerac. de Ministro Pœnit.* §. 22.

qua subsit, cur Confessarius non expedire judicet, ut pœnitens id agat, tum ipsemet ad Pœnitentiarium, vel ad Nos pro absolvendi potestate impetranda recurrat. Si pœnitens extra civitatem sit, taleque negotium sit, ut ipse Confessarius a Vicario nostro foraneo, aut alio in iis locis ad similia decidenda a Nobis deputato subdelegari possit, ab eis absolvendi potestatem legitimam impetret, vel pœnitentem ad eos remittat, nisi forte nec ipsi a casibus reservatis absolvendi potestatem a Nobis habeant, aut casus iste sub eorum licentia comprehensus non sit : hoc tempore si pœnitens Mediolanum venire possit, hortetur eum ut id faciat ; quod si ad id inducere non possit, petat ab eo veniam, dictum casum Nobis, vel Pœnitentiario majori litteris aut verbis indicandi, quatenus absolvendi ab eis potestatem impetret : quod quum faciet, et rem ipsam litteris committet, prudentiam, cautionemque summam adhibeat necesse est, ne ullo modo in aliorum notitiam venire possit : at vero si causa tanti momenti esset, ut si litteræ vel perdantur, vel intercipiantur, majus aliquod pœnitenti incommodum immineat, tum Mediolanum Confessarius jubeat ipsum proficisci, nisi forte consultum videatur ut ipse veniat alterius nomine.

Cæterum in negotiis similibus prudentius facient, si recta ad pœnitentiarium majorem, quam quoquam alio recurrant, vel eo pœnitentes suos dirigant : specialiter enim a Nobis ad id constitutus est ille cum ampla etiam potestate alios subdelegandi in iis omnibus negotiis, quæ pro casuum reservatorum absolutione difficilia occurrunt. Quod si nec ipse Pœnitentiarius a

tali casu possit absolvere, tum modum illi præscripsimus, vel a Nobis, vel aliunde unde necesse sit, remedia talibus negotiis opportuna adhibendi.

Si pœnitentem aliquo excommunicationis vinculo reperiat ligatum, serio commonefaciet eum pœnæ excommunicationis, et quæ gravitas illius quamque periculosum in ea perseverare, quantaque cum diligentia fugienda sit excommunicatio : quod commode fiet, si effectus illi demonstret nonnullos excommunicationis.

Interroget utrum sciat hæreticum aliquem, vel de hæresi suspectum, vel simile quippiam, quod juxta vel nostra edicta vel eorum qui inquisitores vocantur, leges denuntiare teneatur; quod si pœnitentem ad tale quid aperiendum cognoverit teneri, curet ab eo satisfieri; et si negligentia sua factum est postquam apud eum hæretici, vel suspecti de hæresi alicujus notitia fuit ut terminus his denuntiationibus præfixus transierit, eo articulo jubebit, ut licentiam impetret qua absolvi possit; non enim satis tempestive perfecit denuntiationem ut debebat.

CAPUT XI.

DE PRÆTERITIS CONFESSIONIBUS.

Circa confessiones antegressæ vitæ debent eæ interrogationes fieri, quæ sunt ad cognoscendum necessariæ. Num aliquo in peccato erratum sit ab integritate confessionis ob quod nullius ponderis neque virtutis extitissent cæteræ confessiones, ac proinde reiterandæ essent. Exempli gratia, si pœnitens alicui confessus sit qui eum absolvere non potuerit, vel qui legitima absolutionis forma usus non fuerit; vel Sacerdoti adeo

indocto, ut ea quæad hoc Sacramentum administrandum requiruntur, nec intellexerit, nec sciverit; vel etiam si ipsemet aliquod peccatum mortale sciens subticuerit, vel confessionem diviserit, enumerata parte peccatorum suorum uni confessario, alteri altera, vel ad extremum, si nullo penitus cum dolore de peccatis suis nullove deliberato emendandi proposito confessus sit, vel (quod etiam contingit interdum) si nullam omnino diligentiam in memoria peccatorum refricanda videatur contulisse.

Et quoniam cernere est negligentiam maximam in confessionibus rite faciendis sæpenumero committi, præcipue vero eo tempore, quo quidem repudiato a se Dei timore, vel minimam prorsus, vel nullam animæ suæ curam gerere putantur, ut potius veniant ad confessionem ex certa quadam agendi consuetudine, quam quod peccatorum suorum agnitione eo perducantur, et vitam emendandi vera desideria susceperint: in universum quidem ob summam commoditatem quæ ex confessione generali redundat, tum præsertim cum ex animo quisquam statuerit in posterum vitam in melius commutare, et totum se ad Deum convertere; Confessarii pro cujusque personæ qualitate, opportuno tempore et loco, ad generalem quandam confessionem pœnitentes exhortentur, ut per hanc (proposita omni præterita vita sibi ob oculos) majore cum alacritate redeant ad Dominum, ac omnes errores qui potuissent in præcedentibus Confessionibus accidere, resarciant.

CAPUT XII.

DE INTERROGATIONIBUS, POSTQUAM POENITENS EA, QUÆ NOVIT, CONFESSUS EST, FACIENDIS.

Hisce interrogationibus finitis, quæ Confessionis veluti præambula quædam, et præludia sunt, Confessarius pœnitentem inducat, ut ipsemet omnia peccata sua, quæ recordatur, exprimat per se: quod ubi fecerit, si perspiciat adhuc (quod sæpenumero accidere solet) eum aliis interrogationibus indigere, per quas multorum quæ oblitus sit, reducatur in memoriam, vel ea quæ prius confuse dixerat, distinctius consideret; volumus interim prænonere Confessarium, ut peccatorum mortalium numerum semper quam poterit exactissime inquirat: et quamvis fieri posset, ut non usque adeo præcise et velut ad unguem omnia referantur a pœnitente, nihilominus tamen paulo plus, minusve eum numerum indicet, quem ad veritatem magis accedere arbitretur.

In his interrogationibus ordinem sequatur oportet, initio ducto a præceptis Domini, ad quæ tametsi omnia alia, de quibus interrogationes habentur, computari possint; nihilominus si cum personis, quæ raro ad confitendum accedunt, agatur, utile erit etiam per septem peccata capitalia, quinque sensus exteriores, et opera misericordiæ discurrere.

Confessarius non minori vigilantia ac prudentia pollere debet in iis maxime peccatis investigandis, quæ homines ejus status, conditionisque, cujus est pœnitens, communiter perpetrare solent.

In peccatis vero luxuriæ summam animi solertiam cum pari circumspectione verborum debebit usurpare. Itaque quum in iis speciem peccati, (*a*) et circumstantias, quæ multum prægravant illud, satis intellexerit, ulterius nihil studeat inquirere : in hunc finem circumstantiæ, quæ peccati speciem ab una in alteram mutant, vel id plurimum deprimunt, plene perfecteque a Confessario sciri debent ; quandoquidem hæ duæ circumstantiarum species necessario inter confitendum explicandæ sunt ; ideoque ad Summas recurrendum erit, in quibus plerumque hoc versu illæ continentur :

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Præ cæteris tamen providus, cautusque sit oportet, ac modum congruentem sciat, quo pueri ac puellæ interrogentur, ne forte, quæ prius ignorabant, eos doceat : verbis autem adeo commodis interrogationes

(*a*) De circumstantiis, quæ speciem peccati mutant, quia sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponuntur, neque Confessariis tanquam judicibus innotescunt ; quod sint in confessione explicandæ, constans est Catholicorum consensio, confirmata per *Syn. Trid. sess.* 14. *cap.* 5. De illis vero circumstantiis, quæ tantum aggravant intra eamdem speciem, ut sunt : furtum 20. floren. et decem millium aureorum, non pariter convenit inter Doctores. *Navar. Enchir. c.* 6. *num.* 6. communiorem et probabiliorem dicit opinionem, non esse necessarium illas confiteri. S. Carolus satis indicat, se sentire, quod exprimi debeant : atque hæc sententia sicut securior, ita videtur verior. Ratio enim, quam adfert prædicta *Syn.* de judicanda gravitate criminum, et pœna condigna pœnitentibus imponenda, etiam in istis locum habet. Nam iis ignoratis, nec de gravitate criminum censere, nec pœnitentiam, quam importet injungere, poterit Sacerdos. Ita sentiunt *Alex. Halens. p.* 4. *q.* 77. *memb.* 3. *Major in* 4. *dist.* 17. *q.* 4. *Dominic. Soto. d.* 18. *q.* 2. *art.* 4. *Altissiodor. l.* 4. *c.* 3. *q.* 3. *Cajet.* verbo : *Confessio. Victoria q.* 176. *de Confessione.* Authores *Catechis. Rom. q.* 41. *p.* 2. *cap.* 5. ut nihil dicamus *de Vivaldo, Binsfeldio, Petro Soto, Emanuele Sa.*

has circumloqui nitatur, ut pœnitentis animus non offendatur : quin etiam dum aurem admovet alicujus confessioni audiendæ, caveat omni modo peccati gravitatem a se auditi, gestu corporis, vel nutu capitis circumstantibus prodere, vel etiam pœnitentem ita terrefacere, ut propterea aliud grave peccatum subticeat ; imo contra animum ei addat, ut omnia, quantumvis enormia et turpia peccata aperire non vereatur.

Confessarius qui privilegium aliquod, facultatem, vel auctoritatem habet pœnitentium vota commutandi, ea non nisi in alia opera pia majora, Deoque acceptabiliora, vel saltem æqualia commutabit, in quo negotio diligenter attendet expensas, labores, aliasque difficultates, quas sustinere necesse fuisset, si vota a se nuncupata primo modo debuisset persolvere.

Quamvis vero per Jubilæum, aut litteras Apostolicas privilegium aliquod ei concessum sit, ab omnibus peccatis, quantumvis enormibus, ac pœnis, censurisque Ecclesiasticis absolvendi ; prænonemus tamen, quod dispensare non possit cum eis qui irregularitatem incurrerint, nisi in ipsis litteris expressa hujus fiat mentio.

Ut Confessarii plenius instruantur, nec absolutionis beneficium iis impertiantur, qui eo revera indigni sunt (id quod vel incuria, vel negligentia, vel alia de causa sæpe accidit, ac proinde multi in eisdem semper peccatis hærent cum animarum suarum lamentabili ruina) idcirco ex plurimorum Theologorum, quum secularium, tum regularium diversorum ordinum consensu, quædam quæ in frequentiori consuetudine agendi a Confessariis observanda erunt, inferius nota-

vimus : quandocumque vero ab iis pœnitentes vel absolvent vel relinquent ligatos , volumus ut secundum id quod infra dicetur , sua consilia dirigant.

Itaque quandoquidem quilibet qui jam ad rationis usum pervenit , sub peccati mortalis periculo articulos omnes fidei scire , et intelligere (saltem generaliter) tenetur , necnon Decalogum , et S. Matris Ecclesiæ præcepta ad peccatum mortale obligantia , quæ communiter in scholis cum Catechismo doceri solent : si Confessarius deprehendat pœnitentem ignorare ea quæ diximus, nec ad ea quam citissime poterit perdiscenda appositum , non debet eum absolvere : si vero ad ea mandandum memoriæ paratum sese exhibeat, si tamen alias a Confessario (sive ipsemet is sit , sive alius) vel speciatim a Pastore suo hac de re admonitus fuerit (debebit autem hæc recordari ut commodius interroget) neque tamen tantum studii adjunxerit quantum debuit pro capacitate suæ personæ , eousque absolutionem differat , donec aliquo modo satisfaciat : verum si hac de re admonitus a nullo fuerit, postquam eum in supradictis ita generaliter instruxerit , ut eo tempore reddatur absolutionis capax , poterit eum absolvere.

CAPUT XIII.

QUOMODO SE GERET CONFESSARIUS ERGA EOS , QUI HABENT SUBDITOS.

Si patres , aut matresfamilias fuerint , qui curæ suæ subditos, sive filios et filias , sive servos et ancillas (quæ particulatim interrogare meminerit) quum rudimenta fidei non teneant , addiscere non compellunt,

vel non advigilant ut Decalogi, et Ecclesiæ Romanæ præceptis obediant; vel (quod pejus est) ab eorum observatione eosdem prohibeant, ut faciunt, qui servos et ancillas usque adeo occupatos diebus profestis detinent, ut propria necessitate urgente diebus festis operari quodammodo cogant: vel temporis tantum non tribuant, ut secundum Ecclesiæ præceptum, Sacro Officio Missæ interesse queant: aut qui nescientes quinam eorum, qui in familia sua degunt, legitimum habeant impedimentum, promiscue tempore quadragesimali, aut aliis jejuniorum diebus, cœnam vel tempore antemeridiano, escam ante horam debitam in ædibus suis præbent, vel dari patiuntur, aut si quando hæc præcepta transgrediuntur, eos non reprehendunt; vel si servi corrigi nolint, et cæteris scandalo sint, e demo sua non quamprimum eos ablegant.

In omnibus his peccatis, nisi reipsa præstent officium suum, negligentiamque in familiæ administratione commissam, quantum ad ea quæ dicta sunt attinet in posterum sese emendare promittant, nullo modo eos absolvat: quod si in se recipiant ea se facturos, nec horum admoniti unquam a Confessario vel Pastore, præscripto modo fuerint, poterit eos absolvere, quod si sæpius fuerint reprehensi, nec sese correxerint, tamdiu absolutio differatur, donec promissa appareant, veræque emendationis argumenta aliquo temporis spatio ostenderint.

Confessarius eumdem cum eis modum servabit, qui contra Conciliorum nostrorum Provincialium, præcipue vero tertii constitutiones ac alios Canones nostros, diebus festis operantur, vel a venditionibus et simili-

bus, quæ in illis prohibentur, non abstinent. Idem etiam servetur cum iis qui in immoderato corporis ornatu et fastu mortaliter peccant.

CAPUT XIV.

QUI PECCENT MORTALITER IN EXCESSU VESTIUM.

Ac vero quum hac tempestate luxus vestium ad summum (quo conscendere potuit) verticem videatur evasisse, idque magna ex parte, culpa et negligentia Confessariorum accidat, qui vel ex inconsiderantia, vel forte dum leviter pœnitentes peccare existimant, nullo cum scrupulo eos absolvunt, capita quædam in medium adferemus, quibus propter ornatum, et luxum in vestitu, fastumque animi ingentem, plerumque mortaliter hodie peccatur, ut quum absolutio danda erit, secundum eas regulas actiones officii sui metiantur.

Si quis igitur vestitu splendidiore induitur, vel eo sese ornat ob finem peccati mortalis, utique mortaliter peccat : adhæc qui vestimenti sumptuosi gratia vel ipse delinquit, vel alii ejus nomine præceptum Domini vel Ecclesiæ transgrediuntur, ita ut, ne vestis non conficiatur, festis diebus sartori operandum sit, vel ipse certe faciat eum operari, aut sacrum Missæ officium omittere, vel ut alii omittant præbetur ab eo occasio ; vel si causam præstat conjugi, illisve ad quos spectat ejus sustentatio, ut plus quam privatæ opes ferunt in vestitum impendant ; vel si prævidet, ut merito debet prævidere, aut saltem probabiliter dubitat,

quod odia vestium causa gignantur, dissensionesve in ædibus fiant, vel quod indumenti causa conjux aut aliorum quispiam blasphemias evomat, aut lucra, contractusque illicitos exerceat. His adde eos qui ornatus gratia non sine peccato mortali supersedent eleemosynis necessariis, aut legata pia non exequuntur, aut similia, quibus obstricti sunt, complere negligunt, vel qui pro veste mercedem operariis denegant solvere, vel differunt, aut ære alieno sic se obruunt, ut cum tempore, solvendo non sint futuri. In hoc etiam ordine ponendi sunt, qui ut se splendide vestiant, detrimentum proximo notabile inferunt; vel ita se exhauriunt, ut filias, quum ad ætatem nubilem pervenerint, in matrimonio collocare non possint, qua ex re magna damna solent existere: ad extremum quum prudenter colligi possit, quod non mediocria peccata similia iis, quæ dicta sunt, inde prodibunt, aut dubitatio verisimilis habeatur, quod accidere possent, qualia fere solent sumptuosum et insolentem earum usum comitari. In omnibus quæ diximus, judicandum est peccatum esse mortale indulgere nimio vestitui.

Cæterum quum fieri vix possit, ut qui supra quam suæ copiæ ferunt insumit, non animum advertat ad peccata consecutura, vel ut minimum possit et debeat advertere, potest in universum recte judicari eos omnes in peccato mortali vitam agere, nisi ex diligenti pœnitentis examinatione, certa ratione contrarium existimetur.

Neque solum mortaliter peccatur, quum factæ expensæ in vestes, ordinem et facultates domesticas

excedunt, verum etiam in modo peccatum committitur sese exornandi. Quid enim si ornatus ad lasciviam pertrahat? Quid si per se, vel certe ex communi hominum judicio sollicitet ad peccatum? Potest etiam fieri ut per se quidem eo non adducat, tamen occasionem ille suspicetur ex ejus generis ornamento, quod a sui ordinis hominibus communiter non gestatur, datum iri certæ personæ, ut illum inhonesto amore prosequatur, vel ne sic accidat probabiliter timet: denique quum in hoc peccato hæret, ita vitam instituit, ut nullam vel parvam salutis proximi habeat curam; adeo quidem, ut si quem ex sumptuosis quibus incedit vestibus, per occasionem misere salutem perdere conspiciat, tamen eum non studeret deponere. Fit deinde non raro ut cultus ipse prima fronte ad varias species amoris inhonesti prodendas concinne institutus sit, easque amorum affectiones variis colloribus, dum se comit et promit, vel alio quocumque modo non perobscure declaret.

CAPUT XV.

QUI NON SINT ABSOLVENDI.

Jam vero non solum absolvere eos non possunt, qui peccato mortali valedicere constanter non decernunt; sed nec illos etiam, qui quamvis asserant peccatum se velle deserere, tamen una dicunt videri sibi non se commercium illius esse relicturos, nisi ea velint remedia apponere, sine quibus Confessarius judicat ad vomitum redituros.

Est præterea consultum, absolutionem differre,

donec evidens appareat emendatio in iis qui tametsi dicant ac polliceantur quod se eximent peccato, tamen Confessario probabilem faciunt metum, ne contrarium contingat. Ex hoc genere esse solent plerique adolescentes, qui in otio vitam agunt, qui luxui dediti, crapulam, et amores inhonestos sequuntur, qui libidinibus pascuntur, verba obscœna proferunt, murmurant, in odiis ac detractionibus versantur quotidie, et confessionem differunt in ultimos Quadragesimæ dies. Idem faciendum est cum iis (scilicet ut differatur absolutio) qui quum multos annos in peccatis suis perdurant, nulla interim adhibita opera in emendationem vitæ, in eadem peccata iterum atque iterum labuntur.

Deinde nec eos absolvat, qui cum peccatis mortalibus simul etiam eorum occasiones vitare plane non proponunt.

CAPUT XVI.

DE OCCASIONE PECCATI MORTALIS.

Porro quum e re Confessarii vel maxime sit, ut quæ sint eæ occasiones, perspicue sciat, paulo de illis loquemur distinctius hoc loco.

Sub occasionem peccati mortalis omne illud cadit, quod peccandi mortaliter causam administrat, eo quod hujusmodi est, quod vel per se in peccatum inducat, vel ejus occasione confitens usque adeo ad peccandum allicitur, ut certe Confessarius metuere possit quod ex perverso, quem diu induit, habitu, in posterum non magis abstinebit quam prius a peccato, si in iisdem occasionibus versetur.

Prioris ordinis occasiones, quæ scilicet suapte na-

tura trahunt in consensum peccati mortalis, sunt istiusmodi : artem profiteri tabellis chartaceis, vel aleis (*a*) ludendi, domum tenere in hunc finem aliis paratam ; aliquam cum qua fit peccatum vel apud se, vel apud alium suo rogatu fovere, vel quocumque modo in eisdem ædibus habitare ; persistere in assidua collocutione, aspectu, quotidiano congressu, et similibus turpium amorum irritamentis.

Itaque si pœnitentem iis aut similibus impedimentis irretitum esse perspexerit, ipsaque occasio talis sit, quæ tum etiam reipsa existat, veluti quod concubinam alit, vel quid hujusmodi ; Confessarius eum absolvere non debet, nisi prius illam ipsam occasionem prorsus abscindat.

In aliis vero, ut alea ludere communiter, in Venereis aspectibus diu esse, conversari periculose cum fœminis, perdurare in tactibus impudicis, si eis nuntium remittere non polliceatur ; vel si spondeat, alias

(*a*) Etsi ludus aleæ (sub quo intelligitur omnis, qui fortuna magis quam arte regitur) prohibitus Laicis jure Civili, *Lege* I. *et* 3. *Cod. de Aleatoribus.* Clericis autem *Can. Apostolorum* 42. *et sess.* 22. *cap.* I. *de Reform.* in *Concil. Trid.* Laicis vero pariter et Clericis *can.* 43. inter *Apostolicos* : Etsi, inquam, ludus ille posset aliquando esse sine mortali peccato, imo et sine veniali saltem gravi, ut si fiat ob honestam recreationem, et sine scandalo, neque exponatur summa notabilis, sed solum alicujus esculenti vel poculenti pretium, ut tradat *Navar.* c. 20. *n.* 7. Profiteri tamen artem aleis aut tabulis chartaceis ludendi (quo fit, ut et principaliter ob lucrum ludatur, et summa notabilis exponatur, itemque divina Officia, quibus oporteret temporibus, non frequententur, ac tempus inutiliter expendatur) plenum est periculi, non solum ob avaritiam et prodigalitatem, quæ ut minimum sunt culpæ veniales ; sed etiam, quia inde nata sunt varia peccata, ut rixæ, iræ, inimicitiæ, odia, perjuria, blasphemiæ, homicidia, fraudes etc. Et propterea non est mirum, si B. Carolus numeret illam professionem inter occasiones per se trahentes in peccatum mortale.

tamen quum de eodem fidem fecerit, vitam non emendaverit, absolutionem differat usque eo dum emendationis quædam argumenta videbit.

At vero quum usu venire possit, ut ex omnibus, quæ solers ac circumspectus Confessarius excogitaverit, nullum remedium tamen potuerit habere cur pœnitens absque periculo et scandalo magno debeat occasionem præscindere, utatur Confessarius his viis.

Primo absolutionis beneficium eo usque extrahat, donec emendationis indicia videat, maxime si absolutio citra aliquod illius periculum vel infamiam procrastinari possit, eaque doloris signa perspiciat, eam animi dispositionem, promptitudinemque suscipiendi omnia quæ pro ejus emendatione necessaria Confessarius judicabit: quo tempore remedia hujusmodi pœnitenti proponet, quæ magis opportuna magisque necessaria apparebunt; verbi gratia, præscribet ei ne solus unquam cum sola versetur; ut orationes augeat; corporis macerationem subeat aliquam, quodque præcipuum est, ut frequenter confiteatur, aliaque similia, quæ si pœnitens recipiat in se, poterit absolvi.

Contra vero si ab illa diligentia, quam vel ille vel alius Confessarius jam diu adhibuit, non se emendaverit, non absolvatur donec impedimentum sustulerit, vel nisi quid aliud a nobis acceperit quod convenire videatur, ad quos in tali negotio recurret, ut factum nobiscum expendat, ita tamen ut nulla fiat mentio peccantis.

CAPUT XVII.

DE ILLIS OCCASIONIBUS PECCATI, QUÆ NON SUNT PER SE.

Alterius generis occasiones, quæ videlicet ex condi-

tione peccantium sumuntur, ea facta sunt, quæ etiamsi per se licent, tamen probabiliter timetur, ne is qui confitetur, in eadem ipsa quæ olim admisit peccata relapsurus fit : si in eisdem operibus in quibus antea versatus est, perseveret : tales ob mundi corruptelam plurimi esse solent, in castris esse, mercaturam sequi, Magistratus obire, Advocati et procuratoris officia exercere, aliaque id genus ; quæ dum quis tractat, fit sæpe, ut vocibus blasphemis, furtis, injustitia, calumniis, odiis, fraudibus, perjuriis, et aliis ejusdem farinæ sceleribus, quibus Deus offenditur, tantum sibi eorum consuetudinem asciverint, ut conjectari liceat, si in eisdem officiis maneant, quum se rursus eædem illæ oblaturæ sint occasiones, quod fortiorem animum ad resistendum peccatis non opponent, quam hactenus fecerint : quodque inde sequitur, in idem lutum ex integro prolabentur. Omnes qui sunt hujusmodi, secundum D. Augustinum vel negotium ipsis periculosum deponant, vel saltem absque licentia et obedientia pii ac probati Sacerdotis non exerceant : qui quidem hominem eo modo constitutum absolvere non debet, si existimat ad eadem peccata rediturum quamdiu in antiqua occasione perseverat, sed æquum est, ut vitæ emendatio, et quædam illius approbatio per temporis intervallum expectetur. Atque hic vigilandum est eo diligentius ; quo manifestum est hac in parte Confessarios incuria sua maximam præbere causam, cur in omnibus fere opificiis et exercitationibus publicis peccata gravissima inveniantur, et abusus intolerabiles, sine quibus multi hodie existimant nec res etiam per se æquissimas recte exerceri posse.

Exempli gratia, in Magistratu adeundo, et aliis officiis assumendis multa juramenta reperiuntur, quæ servari debeant; quæ tamen postea non servantur.

Inter Consiliarios, Advocatos, Procuratores, clientum perniciei ac damnis incumbitur, contra id quod propria conscientia dictat faciendum.

Idem fit in bello, ubi duellis locus datur, ubi odiis, homicidiis plena sunt omnia. Inter ludendum maledicta vigent, rapinæ, quæstus meretricii. Apud mercatores hæc regnant, usuræ, mercium fraudes, quum vel eas miscent, vel malas pro bonis in manum porrigunt, multoque pluris quam pretium justum est, eas distrahunt; nec desunt perjuria, mendacia, vectigalium fraudulenta aversio, aliaque ejus ordinis permulta.

Plerique opifices festis æque ac profanis diebus ita occupantur, ut nunquam neque cultui divino vacent, neque conciones frequentent, nec se solum, sed ad similem modum totam distentam familiam habent.

Quamobrem magno numero inveniet Confessarius inter eos qui talia exercent omnem vitam fere in peccatis mortalibus duxisse, qui quidem absolutionis capaces existimari non debent, nisi diligentia prius accedat; qua simul et ab involucris hujusmodi liberentur, et fortiores contra peccatum reddantur.

Quod si Confessarius posuerit majorem industriam in iis examinandis, non dubium est, quin plures deprehendet, qui nunquam (ut oportuit) Sacramento Pœnitentiæ peccata sua expiarint; quod quum fuerit ab eo animadversum, ostendat eis præterquam quod de emendatione majorem probationem facere debebunt,

vel opificii genus in quo sunt deserere, totius etiam vitæ confessionem instituere, ac studio vehementi in salutem suam incumbere tenebuntur.

Multo magis Confessarius circa ea officiorum actionumque discrimina extirpanda allaborare debet, quæ nullam vel necessitatem Reipubl. vel utilitatem secum ferunt; quæ quamvis ex priori ordine rerum non sint (illæ enim per se ad peccatum mortale inducunt, ac propterea necessario a quovis homine, quocumque in statu relinqui debent) nihilominus tamen ad male agendum inflectunt, ac facillimo negotio sæpissime ad diversa peccata trahunt, ut choreis interesse, agere cum blasphemis, versari cum scurris, malorum se sodalitatibus hominum adjungere, tabernas frequentare, otio indulgere, similesque actiones, in quibus ut plurimum peccare mortaliter homines solent; qui quidem ante non debent absolvi, nisi animo abalienato penitus illa ipsa se deserturos esse polliceantur.

Et quidem si probabiliter sibi Confessarius persuadeat posse se fidem primæ vel secundæ a pœnitente sibi promissioni factæ dare, quod scilicet occasionem auferet, poterit eum promissionis intuitu absolvere; sin autem fidem semel atque iterum fregerit, ac tertio jam idem polliceatur, absolutionem differat, usque dum reipsa videat pœnitentem se omni peccato liberasse, in quo prius vixerat.

Eos præterea qui contractus nostris Conciliis Provincialibus nominatim prohibitos, vel per se alias illicitos exercent, non absolvat, nisi prius rescindantur, satisfactioque conveniens pro eis præstetur. Si contractus dubii sint, antequam absolvat, ad pœnitentiarium majorem rem totam rejiciat, qui quidem illius expli-

cationem ampliorem penes nos inveniet; sed hoc tempore, si pœnitens sufficientem dederit cautionem, quod futuræ definitioni sententiæque acquiescet, poterit eum absolvere, et ad communionem admittere.

Sed ne quidem Jubilæi alicujus tempore, qui ea quæ ex edicto publico, monitoriove Papali vel Archiepiscopali notificare tenebantur, subticuerint, nullo modo absolvantur, nisi denuntiationem rite prius fecerint ac omnibus ad quæ ob damnum inde secutum obligati sunt, satisfecerint. Cæterum ante restitutionem debitamque satisfactionem eos non absolvant, qui aliquatenus ad tale quid adstricti sunt modo id facere possint: eos tamen excipimus, qui ex gravi periculosaque infirmitate decumbunt, quibus tamen præcipiat Confessarius, oneretque, ut quam primum potuerint satisfaciant.

Postquam Confessarius omnibus his præscriptis remediis diligenter usus fuerit, si impedimentum aliquod non videat ob quod negare vel differre debeat absolutionem, dicat pœnitenti, ut de peccatis omnibus, quæ confessus est, reliquisque in universum quæ verbo cogitatione, opere vel omissione commisit, quorum non recordatur, culpam humiliter suam dicat, confessionemque claudat.

CAPUT XVIII.

DE MONITIONE POST CONFESSIONEM FACIENDA.

Quod ubi factum est, Confessarius ei, maxime si talis est qui rarius confiteri solet, peccatorum gravitatem ostendat, ac speciatim ad ea sensim descendat, quibus eum noverit magis involutum, iisque remediis

contra eadem armet et muniat, quæ convenientissima esse judicabit. Proderit autem hac in parte Methodum Confessariorum bene tenere, vel Directorium, atque ejusmodi argumenti libros sibi facere familiares.

Deinde si fuerit necessarium, injunget ei ut satisfaciat et restituat rem, famam, vel honorem, quæ proximo abstulerit; tum ubi præscripserit salutarem pœnitentiam, quemadmodnm infra dicetur, eum absolvet.

Si forte pœnitens aliquam censuram incurrerit a qua eum absolvere possit, antequam conferat absolutionem a peccatis, eam debet, quæ a censuris datur, præmittere; multum autem juvat ad cautelam, si semper eadem præmittatur, quatenus scilicet potestatem habet, ac pœnitentem indigere arbitratur. Similiter si pœnitens casu aliquo reservato teneatur, nisi licentiam absolvendi habeat, eum non absolvat; alia enim in excommunicationem incideret a Synodo nostra Diœcesana latam. Nec ipsi Regulares quantumvis privilegio quod *Mare magnum* vocant vel aliis quibusvis indultis gaudeant, a prædictis casibus absque peculiari nostra licentia absolvere possunt : quemadmodum Gregorii XIII. P. M. Sanctitas ex Cardinalium consilio, ad quos Concilii Tridentini interpretatio pertinet, declaravit.

Multo minus sese ingerent ad absolvendum a casibus in Bulla in cœna Domini contentis, vel aliis Sedi Apostolicæ reservatis.

CAPUT XIX.

DE FORMA ABSOLUTIONIS.

Atqui ut omnes qui in nostra versantur diœcesi, unam eamdemque absolvendi formam observent, hoc

quo sequitur modo absolutionem proferent. Sed interim admonemus omnes serio, ne verba ea ommittant in quibus tota absolutionis vis consistit, scilicet : *Ego te absolvo.* Hic itaque omnibus sit præfixus absolvendi modus.

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego authoritate ipsius absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, si quod incurristi, quantum possum, et indiges. Deinde :

Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris et Filii, et Spiritus S. Amen.

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita B. Mariæ semper Virginis, et omnium Sanctorum, et quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, et præmium vitæ æternæ.

CAPUT XX.

DE SATISFACTIONE.

In satisfactionibus vel pœnitentiis Confessarius circumspectus esse debet, ne adeo leves illæ sint et faciles, ut potestas clavium in contemptum veniat, ipseque particeps fiat et consors aliorum peccatorum; neque nimis graves aut longæ jubeantur, ut vel recusent eas exequi, vel etiam si acceptas habent, postea tamen plene non perficiant.

Idcirco Confessarius Canones pœnitentiales ad un-

guem sciat oportet, nam quamvis illi possint et debeant, secundum prudentis et timorati Confessarii arbitrium mitigari, prout pœnitentis contritio, personarum qualitas, diversaque conditio, aliæque circumstantiæ ostendent, utilissimum tamen est semper ipsos Canones præ oculis habere, atque eos tamquam ad amussim respicere, quantum conveniens erit : et quidem Confessarius etsi pro modo antiquo Canonum pœnitentiam non habet sequi, tamen pœnitenti nonnunquam articulos in iis explicatos tractabit, ut sic ad majorem dolorem adducatur, pœnitentiamque leviusculam quam ipsi dedit, alacrius exequatur : et interim hæc quoque perspicietur utilitas quæ proficiscitur ex benignitate, quam hodie Sancta Mater Ecclesia cum pœnitentibus observat, quando disciplinæ Ecclesiasticæ rigorem eis tantopere moderatur. Curet etiam ut satisfactiones peccatis commissis respondeant. Itaque adversum peccata carnis, vigilias, peregrinationes, cilicia, aliaque similia imponet, quæ macerare ac castigare possunt carnem. Contra avaritiæ peccata, præter restitutiones, quæ fieri debent, opponet opera misericordiæ pro facultate et modo cujusque. Peccata superbiæ, quæ in spiritu hærent, oratio comprimet quæ sub potenti manu Dei homini humiliato fortitudinem animique constantiam acquiret. Præcipiet contra negligentiam in iis ediscendis quæ ad verum pertinent Christianum, conciones sacras, tum etiam ut ad certum tempus scholas et Catechistas Christianæ religionis frequentent. Remissis hominibus, quique in rebus conscientiæ suæ salutiferis frigide se gerunt, præcipiet ut adeant templa, divinisque officiis assistant, multasque usurpent orationes.

At vero blasphemis , et sacrilega lingua in Deum et Sanctos petulanter maledicis , pœnitentias graves et difficiles injungent , quæque culpæ gravitati respondeant, qua in re Canonibus sacris, Pontificiis Decretis, Concilio Lateranensi , ac nostrorum Conciliorum Statutis sese conformabunt. Verum hac in parte integro judicio et personarum delectu utentur : non enim omnibus omnia conveniunt ; quare non mandent pauperibus , ut liberaliter tribuant eleemosynas ; neque iis qui diurnis sudoribus victum sibi suisque quæritant , jejunia prolixa; ac simile judicium in reliquis pœnitentiis usurpabunt et sequentur. Videndum est etiam , ut qui publicis vel scandalis vel sceleribus delinquunt , non absolvantur , priusquam satisfactionem item publicam ac pœnitentiam peccato congruentem iis injuxerint , ut simul cum emendatione vitæ malefacta publica benefactis resarciant ; qua in causa Concilii Tridentini præscriptum observabunt , ac institutionem nostram super hac re in primo ac tertio Provinciali nostro latam , qui etiam pœnitentias publicas in alias secretas non commutabunt , nisi expressam a nobis hujus rei habeant potestatem.

Ut liberior sit Confessarius in exequendo officio , quod illi cum pœnitente est , majoreque apud eumdem in auctoritate habeatur in decernendis iis omnibus , quæ ad pœnitentis salutem referuntur , non solum fugiet studiose avaritiam , sed etiam omnem ejus vel minimam suspicionem. Nominatim autem pecunias vel aliquid hujusmodi (*a*) pro confessionum audientia

(*a*) Ubi consuetudo est , potest Confessarius id , quod a pœnitente offertur , recipere , non ut pretium Sacramenti , sed quasi

non petet, etiamsi occasio se præbeat : ac ne signum quidem vel minimum ejus ostendat : quin potius voce et reipsa declaret, animum se prorsus abhorrentem a talibus habere. Quum pœnitenti jubebit, ut Missæ sacrificium faciat uspiam peragi, nec recte nec oblique significet quasi velit ipse celebrare, vel in sua Ecclesia aut Monasterio curare celebrari.

Idem faciat in satisfactionibus iis, quum pœnitens vel debita incerta reddere pauperibus, vel pro votorum commutatione aliquid solvere debebit.

(*b*) Sed neque pecunias aliave, quæ a pœnitente restituenda sunt, propriis dominis in se provinciam reddendi assumat, nisi necessitas id requirat, ut videlicet hoc modo pœnitens non prodatur : quod quum erit ab eo factum, curet ut is, cui rem restituit, chirographum suum in testimonium ei tribuat, ut illud pœnitenti consignet, ac plane eo modo procedat, ut omnem speciem ac signum avaritiæ subterfugiat. Præ omnibus autem Confessarius caveat, ne verbis, vel signis, vel quocunque alio modo, peccatorem, vel peccatum ipsum, vel aliquam circumstantiam personæ, cum qua peccatum perpetratum est, prodat ; denique verbum nullum ex ore ejus excidat, ex quo aliquo

stipendium suæ sustentationis : Imo, ubi ministrorum stipendia sunt exigua, melius est recipere, quam oblatam respuere, ne secuturis (qui fortassis indigentiores erunt) aliquod præjudicium fiat. Omnem autem avaritiæ notam fugiet, si pecuniam non exigat, sed solum oblatam accipiat, et pro re nata distribuat pauperibus in eleemosynam, sive iisdem, a quibus accepit, sive aliis. Confer. *B. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *et Syn.* 2. *Provinc. Camerac. tit.* 5. *cap.* 5.

(*b*) Non improbat modum restituendi per Confessarium, sed monet, ne citra necessitatem id oneris ipse suscipiat, ac prudentem suggerit cautelam, qua secure defungatur isto munere.

modo in peccati quantumvis levissimi, quod in confessione dictum sit, notitiam venire possit.

Quumque pro rei alicujus controversæ, quæ in confessionem incidit, clariore definitione consilium ab aliquo petendum erit, summa ad id prudentia adhibeatur necesse est: tractetur igitur vel cum iis hominibus, ac modo tali, ut is, qui peccatum commisit, nullo modo deprehendi possit. Ideoque consultum videtur, ut nullam plane apud alios mentionem faciat ullo tempore peccatorum, quæ in confessione audiverit: quod si postea necessitate coactus, cum ipsomet pœnitente de peccatis loqui contingat, id non nisi præfata venia (c) faciat, et ipsum colloquium obtinebit vim confessionis, quantum ad secreti silentium attinet.

CAPUT XXI.

DE TESTIMONIALIBUS LITERIS AUDITÆ CONFESSIONIS.

Si pœnitens a Confessario postulet testimonium sibi dari, quo se ejus confessionem audivisse fateatur, quod illud dicat se velle Pastori suo ostendere, quod semper in confessione Paschali facere tenetur; eam secundum formam, quæ infra ponitur, scribat. Atqui eo quod attestationum harum multa exemplaria impressa singulis dabuntur Confessariis, curet Confessarius, ut suas præ manibus habeat, nullisque eas tradat, nisi quorum confessiones audiverit.

(c) Eamdem doctrinam, scil. non licere Confessario, absque pœnitentis prævio consensu, loqui cum ipso pœnitente de peccatis sola ejus confessione cognitis, tradunt *Dominicus Soto in 4. d.* 18. *q.* 4. *art.* 6. *Victoria q.* 185. *Toletus l.* 3. *cap.* 16. *Binsfeldius tract. de sigillo dub.* 7. *Josephus Angles, Henriquez, Suarez.*

Attestationis formula hæc erit :

1574. *die mensis Sacramentum Pœnitentiæ administravi habitanti in Parochia.*

Scribat in primo albo diem, quo pœnitens confessus fuerit, secundo mensem, tertio nomen et cognomen, quarto Parochiam, in quo pœnitens habitat. In calce Confessarius nomen et cognomen suum subscribat cum titulo beneficii, vel officii Ecclesiastici, a quo communiter denominari solet, veluti, Rector, Vicerector, Canonicus, vel Sacellanus Ecclesiæ N. vel si Regularis sit, habitans in Monasterio N. Atqui quicquid in attestationum albis scribendum est, totum id ipsiusmet Confessarii manu scribatur, vel saltem dies, mensis, ac ipsius Confessarii subscriptio. Utile præterea erit, si Confessarii omnes in tabulis nomen et cognomen scribant eorum, quibus dictas attestationes subscriptas tradiderunt, serventque eas tabulas penes se, vel post octavam Paschæ nobis, aut si in Diœcesi sint, Vicariis nostris forensibus exhibeant, idque ut exactius animadvertere possimus, num fraus aliqua in dictis attestationibus a non confesso quodam facta sit.

Pro majore Confessariorum instructione, atque in juvandis eorum animabus, quibus Pœnitentiæ Sacramentum administrarunt, ut certa quadam forma utantur, qua Pœnitentes in gratia accepta perseverare ac progressum facere doceant, inscriptas adjunximus admonitiones.

CAPUT XXII.

ADMONITIONES POENITENTIUM.

Confessarii omnes, quemadmodum Patres spiritua-

les decet, circa pœnitentes suos summam prudentiam adhibeant necesse est, ut instruantur diriganturque paulatim ad virtutes Christiano homine dignas. Peculiariter autem industriam et studium suum erga eos magis explicare debebunt, qui in patres sibi Confessarios suos (*a*) cooptant, ut ad eos in dubiis et contro-

(*a*) Plerumque Pœnitentibus expedit, non facile Confessarium mutare, neque modo hunc modo illum adire, quod solent personæ, tum curiosæ, tum inconstantes, tum timidæ. Imo quædam peccatorum sunt genera, quæ vix alio possunt efficaciori remedio tolli, quam frequentatione confessionis uni et eidem Sacerdoti factæ, ut de peccato *pollutionis* tradat *Tolet. l.* 5. *c.* 13.

Servari nihilominus debet libertas Pœnitentium: ac proinde nemo aliquem obligare debet ad perpetuo sibi soli confitendum; ut prudenter monuerunt Patres *Syn.* 2. *Prov. Camerac. tit.* 9. *c.* 10. *et Mechl. tit.* 5. *c.* 7. Quin potius faciles oportet esse, tam Episcopos et Pastores, quam alios (personarum etiam religiosarum) Confessarios, in concedenda facultate confitendi aliquando alteri: ut propterea pessime faciant, qui, scientes aliquam sibi confiteri solitam, alteri esse confessam, verbis, gestu, nutu, vultu, ostendunt sibi hoc displicere. Huc etiam venit observandum, quod adnotavit *Navar. Enchir. c.* 26. *n.* 2. Dum Confessarius admonet Pœnitentem de proposito non amplius (Deo adjuvante) eadem aut alia peccata mortalia perpetrandi; ne obliget eum ad id, voto, juramento, vel alia promissione, quæ novum vinculum adjiciat; nisi quum id jus præcipit, ut in absolvendis excommunicato notorio, injuriante publice personas ecclesiasticas, incendiario, mutilatore, manifesto raptore, Ecclesiæ violatore, usurario publico. Hinc prædicta *Syn. Camerac.* eodem loco monet: ne Confessarii vota castitatis a filiabus confessionis exigant, aut admittant, absque Episcopi consensu; et a nimia familiaritate abstineant. Cavendum certe est unicuique, præsertim Sacerdoti, ne sub specie necessitatis, consilii, vel auxilii, nimiam familiaritatem contrahat cum quantumcumque devota muliere: contingit enim, ut, ubi videtur esse charitas, ibi vere sit vitiosa cupiditas. Solus cum sola, nunquam aut rarissime versetur, tum ob periculum, tum ob speciem mali, a qua omni vult fideles abstinere *S. Paulus* I. *Thess.* 5. multo magis Sacerdotes.

Meminisse ergo oportet, quod de *S. Augustino* refert *Possidius c.* 26. in ipsius vita: *Feminarum intra domum ejus nulla unquam conversata est, nulla mansit; ne quidem germana soror, quæ vidua Deo serviens, multo tempore, usque in diem obitus sui Præposita ancillarum Dei vixit: sed neque patrui sui filiæ, et fratris sui*

versis suæ conscientiæ rebus quotidie , tum pro consilio , tum pro expiandis peccatis possint accurrere. Qui quidem ad eum modum filios suos spirituales in bono proposito confirmare nitantur, ut constantissime sibi proponant potius , quam divinam Majestatem offendant mortaliter , non solum bona ac honores , sed etiam vitam profundere , vivumque præ se ferant , et salutare desiderium , secundum sanctissimam Dei voluntatem totam vitam suam expendere.

Quare finem , ob quem creatus est homo , eis ob oculos crebro ponat ; qui quidem est servire et obedire in hac via divinæ Majestati , et in altera in omnem æternitatem eadem frui , aliaque similia ; ac proinde debere hominem exsuscitare , animum et vires sibi sumere, salutique suæ cooperari , atque eatenus rebus omnibus uti , vel abstinere , quatenus ad hunc finem

filiæ , quæ pariter Deo serviebant : quas personas sanctorum Episcoporum concilia in exceptis posuerunt. Dicebat vero , quia etsi de sorore et neptibus secum commorantibus nulla nasci possit mala suspicio ; tamen quoniam illæ personæ sine aliis necessariis secumque manentibus feminis esse non possent , et quod ad eas etiam aliæ a foris intrarent ; de iis posse offendiculum , aut scandalum infirmioribus nasci ; et illos , qui cum Episcopo vel quolibet Clerico forte manerent , ex illis omnibus feminarum personis una commorantibus aut adventantibus , tentationibus humanis posse perire , aut certe malis hominum suspicionibus pessime diffamari. Ob hoc ergo dicebat , nunquam debere feminas cum servis Dei , etiam castissimis , in una manere domo , ne (ut dictum est) aliquod scandalum vel offendiculum hoc tali exemplo poneretur infirmioribus. Et si forte ab aliquibus feminis , ut videretur , vel salutaretur , rogabatur , nunquam sine Clericis testibus ad eas intrabat , vel solus cum solis unquam est locutus , nec si secretorum aliquid interesset.

Istam mulierum familiaritatem, si quum aliquot aliis vitiis satis caverent nonnulli , alium cito in Ecclesia fructum videremus. Quatuor enim aut quinque sunt potissima , quæ Sacerdotes quosdam reddunt inglorios ac inutiles (utinam non et noxios) Pocula , Mulieres , Præsumptio , et eorum , quæ didicisse se putant , Usus indiscretus.

consequendum adminiculo vel impedimento esse possit: ad extremum, huc se totos, actionesque suas, atque universa, quæ in hac vita possident, destinare, ita ut in victu, vestitu, consuetudine vitæ, negotiis, omnibusque aliis exercitationibus ita sese gerant, ut omnia quasi quædam adjumenta eis esse possint ad ultimum finem cui conditi sint, consequendum. Cæterum ipsi pœnitentes paratos sese exhibeant, non solum in earum rerum usu, prudentiæ ac salutari consilio Confessarii libenter acquiescere, verum etiam si ille omnia plane, vel aliqua ex eis quæ habent, deserenda esse judicet, causa salutis eorum, semper ei obediant. Confessarius tamen juxta uniuscujusque conditionem ac statum ad finem supra dictum eos diriget.

Proponat eis etiam modum orandi, ut feret singulorum capacitas, et pro religiosa consuetudine omnes nitantur bis saltem in die facere preces ad Dominum, mane videlicet quum surgunt, ac vesperi dum cubitum concedunt.

Deinde, exhortabitur eos, ut singulis diebus Sacrum audiant, et diebus Dominicis divina Officia frequentent.

Particulatim vero modum eis præscribet orationes mentales faciendi, sive viri, sive mulieres sint, modo tamen capaces sint: rudioribus autem ostendet quomodo Rosarium sive Corona, Officium B. Virginis, septem Psalmi pœnitentiales, aut similes aliæ orationes legi debeant.

Quod amplius est, omnes suæ fidei concreditos eo inducet, ut examen conscientiæ quotidie faciant: tempus autem huic rei accommodatum erit, dum ves-

peri signo publico companæ simul cum tota familia ad preces invitantur. Admoneat quoque eos de frequenti (*b*) confessione et communione , et paulatim eos , secundum D. Augustini consilium in sanctam eam consuetudinem adducat, ut diebus Dominicis communicent. Quando autem aliquem nacti erunt , quem ad hoc præstandum esse videant inidoneum , conabuntur eum paulatim ac veluti per gradus quosdam eo evehere : primo hortabuntur , ut quando omnes solent percipere venerabile Sacramentum , etiam festis toto anno celebrioribus præter ipsum diem solennem Paschæ , quo debent omnes communicare, scilicet festo Pentecostes, Assumptionis B. Virginis , Omnium Sanctorum , Natalis Domini : deinde etiam Dominica in capite Quadragesimæ , pro indulgentiis plenariis acquirendis , ac præparatione ad sanctum jejunium Quadragesimale : paulo post superaddat aliquot dies : postea hortetur , ut singulis mensibus semel id præstet. Quod si fiat , facile ad communionem octiduanam erit progredi.

Speciali cura eos admonebit Confessarius , ut dies festos in honorem servitiumque divinum impendant : quod ut commodius fiat , auctor eis erit , ut alicui societati sese associent , quæ ex instituto proprio dies festos in orationibus, piisque operibus expendit : veluti est ea quam scholam vitæ Christianæ dicunt. In uni-

(*b*) Quum opus , quod ex amore procedit , laudabilius sit eo , quod procedit ex timore ; frequens autem Communio proficiscatur ex amore , et abstinentia ex timore ; simpliciter laudabilius ac etiam utilius est frequenter communicare, si cum reverentia et devotione accedatur , quam abstinere. Quæ vero ex consuetudine et ad aliorum imitationem potius , quam ex devotione frequenter aut quotidie communicare advertuntur , ad tam frequentem Communionem non facile debent admitti. *Syn. diœces. Camerac.* 1640. *tit.* 9. *c.* 3.

versum autem patres matresve familias admoneat, ut familiam suam ad Dei honorem instituant, ac liberorum suorum curam eximiam habeant; qui interim dabunt operam, ut visitent scholas ubi doctrina Christiana docetur, modo ducant una secum eos festis diebus ad conciones, ad Vespertinas preces, ad prælectiones sacras, modo ad frequentem confessionem et communionem eos accomodent. Si qui ex filiis uxorem duxerint, curabunt parentes, ut opera maritorum etiam illæ Sacramenta frequentent; vel si uxores sint, cum maritis similiter agant: qua in re in memoriam eis reducant quod D. Paulus ait: Maritus bonus (inquiens) sæpe uxorem Christo lucratur, similiter et mulier virum. Eis qui litteras norint, suadebunt ut libros aliquos pios et sancte scriptos emant (si modo facultas suppetat) quos et ipsi legant, ac faciant legi a tota familia circa vesperam, præcipue diebus festis; tales sunt, Vitæ sanctorum Patrum, Gerson de imitatione Christi, Opera F. Ludovici de Grenada, Exercitia vitæ spiritualis, et Rosarium D. Gasparis Loarte, Practica orationis spiritualis P. F. Matthæi Capuccini, et alii similes.

Sæpius divitibus in mentem redigant, eos dispensatores esse divitiarum quas possident, quibus ordinem ac statum suum sustentare et alere possint; verum id Christiane modesteque faciendum esse, ut non solum in usu divitiarum non supra quam eorum vires ferunt, sed potius infra aliquid expendere cernantur, quod etiam Gentiles olim non solum verbis, sed etiam domesticis exemplis ostenderunt. Porro in eleemosynis liberaliter faciendis studeant excellere; ad hoc enim

obligantur : ac ne forte aberrent a modo convenienti , hominum religiose pieque sentientium consilium in his sequantur.

Postremo secundum uniuscujusque modum et conditionem omnibus et singulis ea præscribant adjumenta, quæ maxime necessaria , utiliaque esse judicabunt , ut in via mandatorum Domini Dei sui ambulent et proficiant.

INSTRUCTIO

S. FRANCISCI SALESII

PRO

CONFESSARIIS.

—

REVERENDIS PASTORIBUS ET CONFESSARIIS PACEM ET DILECTIONEM IN DOMINO APPRECATUR

FRANCISCUS DE SALES

EPISCOPUS GENEVENSIS.

Dilectissimi in Christo Fratres. Officium, quod exercetis, quum primis excellens est, quod a Deo ad animas judicandas constituti sitis, idque eo majore cum autoritate, quod quas recte profertis in terra, sententiæ ratæ in cœlo habeantur. Ora vestra canales et tubi sunt, per quos e cœlo in terram super homines bonæ voluntatis pax defluit: Voces vestræ magni Jesu sunt tubæ, a quibus iniquitatis, quæ mystica Jericho est, muri ad terram concidunt, et dejiciuntur. Magna certe et incomparabilis hominum excellentia est, quod ad hanc dignitatem evehantur, ad quam ne Angeli quidem vocantur et assumuntur. Cui enim ordini et choro Angelorum dictum est aliquando: Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remittentur eis? *Hoc tamen dictum est Apostolis, et in ipsorum persona omnibus, qui per legitimam successionem eamdem autoritatem et potestatem accipient. Quum ergo ad*

admirabile et eximium hoc officium assumpti sitis, noctes et dies eidem intendere, et ipsum curare debetis, et ego non modicam muneris mei partem ei curando applicare. Unde quum abhinc aliquot mensibus non paucas observationes et considerationes, quas vobis ad hoc exercitium bene, et prout oportet, obeundum perutiles, et commodas fore arbitror, collegissem: visum mihi fuit ex iis nonnullas vobis hic obiter proponere, quod non modicum hinc vos sperem fructum collecturos.

INSTRUCTIO

PRO CONFESSARIIS.

CAPUT I.

DE CONFESSARII DISPOSITIONE.

Singularem conscientiæ puritatem et munditiem habete, quod aliorum emundare et purgare conscientias studeatis; ne vetus illud proverbium vos comprehendat, et in vos quadret: *Medice cura te ipsum;* Et illud Apostoli: *In quo alios dijudicas, te ipsum condemnas.* Ergo vocati ad aliorum confessiones excipiendas, si in peccati mortalis statu agatis (quod avertat Deus) prius ipsi vestrum confiteri peccatum debetis, et ab eo absolvi, aut si forte, præ confessarii defectu, commode id facere non possitis; sanctam saltem in animo contritionem excitare debetis.

Ardens animarum juvandarum desiderium et zelum habetote, et illarum præsertim, quæ resipiscere volunt, et pœnitentiam vitæ prioris agere, Deumque rogate, ut illarum conversioni et profectui spirituali cooperari dignetur, et promovere.

Memineritis, ipsos pœnitentes, quum primum confiteri incipiunt, vos Patres nominare, ac proinde paternum erga eos animum et affectum vos habere debere; summo cum amore eos excipiendo, eorum stupiditatem, ignorantiam, imbecillitatem, tergiversationem, et alias imperfectiones patienter, et æquo animo supportando, et nunquam ab ipsis juvandis instruendisque præ defatigatione cessando: quamdiu aliqua emendationis spes in illis apparet, juxta illud S. Bernardi, dicentis: Onus Pastorum non circa animas fortes, et valentes, sed debiles versari: fortes enim satis per se sine ullius subsidio incedunt, at imbecilliores oves ferendæ sunt. Sic, tametsi filius prodigus nudus plane, sordidus, et fœtidus jam inde ab hara porcorum, rediret, benignus tamen pater eum complectitur, amanter exosculatur, et super collum ejus ruens lacrymatur, quod illius esset pater, et cor paternum erga filios teneriori soleat affectu commoveri.

Habetote præterea prudentiam Medicorum (nam et peccata morbi sunt et plagæ spirituales) et pœnitentes vestri dispositionem, et statum accurate dispicite, ut pro illius necessitate et qualitate, remedium ei adhibeatis. Si ergo verbi gratia pudore et verecundia eum laborare perspiciatis, animum illi et fiduciam addite, dicendo et ostendendo non magis quam illum, vos Angelum esse: minime videri vobis mirum, homi-

nes peccare : confessionem et pœnitentiam infinite majorem homini honorem afferre, quam peccatum attulerat confusionem : Deum primo ac deinde confessarios non æstimare homines juxta id, quod olim fuere, sed juxta id, quod sunt modo : peccata denique in confessione declarata apud Deum et confessarium velut sepulta esse, adeo, ut nulla ipsorum memoria supersit.

Sin pœnitentem impudentem, et omnis apprehensionis expertum videatis, declarate, et ostendite ipsum coram Deo ipso hic sese prosternere et versari : hac in actione et opere de æterna illius saluti controverti; de nulla re in mortis hora tam exactam cum rationem redditurum, quam de confessionibus male institutis : denique in absolutione mortis ac passionis dominicæ pretium ac meritum pœnitentibus applicari et impendi.

Si illum timidum, dejectum, et de peccatorum suorum venia aliquomodo desperantem videatis, jacentem erigite et corroborate, dicendo : quam Deo sit gratum et volupe magnos peccatores pœnitentiam agentes videre : deinde quo nostra miseria et iniquitas major est, eo id in majorem Divinæ misericordiæ gloriam tendere : Dominum Jesum in crucem actum, Deum Patrem pro sui crucifixoribus orasse, ut hac ratione nos edoceret, tametsi illum propriis manibus cruci affixissemus, ipsum hanc nobis noxam nihilominus libentissime condonaturum. Deum tanti pœnitentiam facere, ut etiam minima, dummodo vera sit, omnia peccatorum genera illum faciat oblivisci, adeo, ut, si damnati et cacodæmones illam habere possent, universa illorum peccata condonarentur : illustriss-

mos item Sanctos insignes et notabiles fuisse peccatores, puto S. Petrum, Matthæum, Magdalenam, Davidem et alios innumeros. Postremo majorem divinæ bonitati et Domini nostri Jesu Christi morti et passioni injuriam fieri non posse, quam si quis de venia peccatorum suorum consequenda desperet, adhæc juxta quemdam fidei articulum teneri nos credere, esse in Ecclesia remissionem peccatorum, ut certi simus, ac minime dubitemus, illam tunc nos consecuturos, quum ad Sacramentum illud confugimus, quod hac de causa in Ecclesia sua Dominus instituit.

Si denique peccatorum perplexum et anxium esse deprehendatis, quod aut peccata sua plane pleneque declarare nequeat, aut conscientiam suam bene examinare non potuerit, opem vestram illi offerre, eumque certum reddite, vos, mediante Dei gratia, effecturos, ut nihilominus bonam sanctamque confessionem instituat. Ante omnia vero, erga quoslibet peccatores benignos, benevolos et discretos vos exhibete, et imprimis erga mulieres, ut in peccatis infamibus aperiendis et confitendis ipsis auxilio sitis. Nam

Primo: si se ipsi sponte accusent, et culpent, quascunque demum inhonestates proferant, nullo modo eas vobis molestas accidere, aut miras vobis insolentesque videri ostendite, quoadusque confessio absoluta sit: nam tum primum placide amicabiliterque eos edocete, qua honestiori phrasi et verbis id genus materias posthac possint exprimere.

Secundo: Si in his peccatis inhonestis exponendis suam accusationem variis excusationibus, prætextibus, et exemplis colorent et implicent, patienter illos ferte,

non turbate , usque dum omnia exposuerint , tum demum eos quoad hoc peccatum interrogare incipite , quo posthac perfectius et distinctius peccata sua declarent , benigne eis ostendendo , et aperiendo , quasnam sese accusando comiserint superfluitates , impertinentias , et imperfectiones , dum accusationem suam palliabant et colorabant : ita tamen , ut nullatenus eos reprehendatis aut objurgetis.

Tertio : Si quam eos difficultatem sentire videatis , in peccatis illis inhonestis per se aperiendis , vos illos circa leviora interrogare incipite , uti sunt : an voluptatem aliquam e rerum inhonestarum auditu perceperint , inhonestas cogitationes habuerint ? itaque paulatim ex uno ad aliud gradu facto , ex auditu inquam ad cogitationes , a cogitationibus ad desideria , voluntates, opera ipsa , prout quidem ipsi sese patefacient , descendendo animabis et adhortaberis eos ad semper ulterius procedendum , his , aut aliis id genus , verbis eos subinde compellando : quam tu felix es , quod bene riteque confitearis ! credas velim, Deum magnam tibi gratiam facere ; vides Spiritum sanctum mentem tibi propius tangere , ut bonam confessionem instituere te faciat ; animose fili, intrepide et libere peccata tua aperi , noli propterea tristis esse, aut distorqueri ; non multo post ingens gaudium senties , quod sic rite confessus sis, nec ob ullam omnino rem voles, quin conscientiam tuam tam liquide et sincere aperuisses , in mortis hora magnæ tibi consolationi erit , quod humilem hanc confessionem feceris. Benedicat Dominus cor tuum , quod ad sese accusandum tam bene dispositum est. Itaque paulatim et suaviter ani-

mas eorum compelletis ad perfecte peccata sua detegenda.

Quarto : Si quando in eos pœnitentes incidetis , qui ob enormia , quæ admisere , peccata , uti sunt incantationes , veneficia , concubitus cum diabolo , bestialitates , homicidia sanguinaria , et aliæ hujusmodi abominationes , mirum in modum suis in conscientiis percelluntur , agitantur , et consternuntur ; omni modo eos relevare et consolari debetis , magnam Dei misericordiam apud eos deprædicando ; utpote quæ ad ipsis ignoscendum infinities major est, quam universa mundi peccata ad illos damnandos , opemque vestram et auxilium illis addicite, quacunque in re et quoties illa opus habebunt ad animæ suæ salutem operandam.

CAPUT II.

DE DISPOSITIONE EXTERIORE.

Si quod sit Sacramentum , in cujus administratione proferenda sit ab administrante gravitas et majestas , certe ipsum Pœnitentiæ summam exigit , quum in eo a parte Dei Judices deputati et constituti simus. Hoc ergo administrabitis induti et togam , et superpellicium , stolam habentes in collo , et pileum in capite , in apparenti et conspicuo Ecclesiæ loco considentes , facie amicabili simul et gravi , quam per nullos novos gestus aut signa exteriora , quæ aliquam aversionem , indignationem , aut demonstrationem animi indicent , unquam debetis immutare , ne quam iis , qui vos videbunt , occasionem detis suspicandi , pœnitentem aliquid displicens aut exsecrabile vobis referre.

Dabitis operam, ut pœnitens faciem suam ita convertat, ut vestram ad latus habeat, ita ut nec vos videat, nec vobis recta in aurem, sed ad latus illius, loquatur.

CAPUT III.

DE INTERROGATIONIBUS, QUÆ POENITENTI PROPONENDÆ ANTEQUAM SESE ACCUSET.

Pœnitens ergo ubi accesserit, ante omnia notandus est, cujus sit status et conditionis, videlicet, an conjugatus sit, nec ne, Ecclesiasticus, an non, Religiosus aut sæcularis, advocatus an causidicus, opifex mecanicus, an operarius mercenarius; nam pro diversitate status diversimode cum eo procedendum erit.

Sciendum præterea, num intentionem habeat hanc, bene se et rite de omnibus peccatis suis accusandi, nihil eorum ut studio et volenter celet; item peccatum penitus deserendi ex animo et detestandi, denique faciendi, quod sibi salutis suæ procurandæ causa injungetur. Quodsi illam intentionem et voluntatem non habeat, si modo fieri potest, allaborandum, si vero eam habere nolit, dimittendus est, prius illi declarato, quam periculoso et misero in statu agat.

CAPUT IV.

QUARUM SE RERUM POENITENS ACCUSARE DEBEAT.

Intolerabilis certe abusus est, peccatores nullum omnino peccatum in confessione per se declarare, nisi in quantum a Confessariis interrogantur. Docendi ergo sunt, ut se ipsi primo accusent in iis, in quibus po-

terunt, ac deinde per interrogationes et sciscitationes adjuvandi ulterius erunt.

Non satis est, pœnitentem peccati sui genus tantum aperire, dicendo verbi gratia, quod homicidium, luxuriæ peccatum, aut furtum comiserit, sed necesse præterea, ut illius speciem explicet, exempli causa: an patrem aut matrem interfecerit, et hoc dicitur parricidium: an in templo aliquem necarit, hoc namque sacrilegium est: an Ecclesiasticum aliquem de medio sustulerit, hoc namque parricidium spirituale est, et quisquis hoc commisit, ipso facto est excommunicatus. Idem et in peccato fornicationis locum habet: si virginem quis deflorarit, stuprum est; si conjugatam aliquam cognoverit, adulterium est; et ita de reliquis peccatis.

Nec solum ipsa peccati species inquirenda, verum etiam quoties peccatum ipsum commissum sit, ut nimirum pœnitens se accuset, dicendo, quoties tale aut tale peccatum admiserit, aut quoties plus minus, quam poterit proxime, prout illius recordabitur, aut saltem dicendo, quamdiu in peccatis suis hæserit, et perseveraverit, et quam valde ei deditus et addictus sit. Etenim multum interest inter eum, qui non nisi semel blasphemavit, et eum qui blasphemare solet. Examinandus præterea pœnitens est circa varios peccati alicujus gradus: exempli gratia, magna certe differentia est inter irasci, et calumnias proferre, pugnos infligere, baculo ferire aut gladio, quæ varii peccati iracundiæ sunt gradus. Magnum quoque discrimen est inter carnalem intuitum, et inhonestum contactum, et copulam carnalem, quamquam necesse non sit, eum, qui aliquod opus malum

absolutum confessus est, confiteri et alia, quæ ad prius illud faciendum necessaria requiruntur, et prævia sunt. Unde qui sese accusavit, quod puellam semel violavit, non tenetur aperire facta et actus, quos interea, dum alterum illud opus fieret, aut disponeretur, intermiscuit; satis ea quippe intelliguntur, et præsupponuntur, etiamsi non exprimantur, et illarum rerum accusatio in actionis finalis et ultimata peccati confessione continetur.

Idem dico de peccatis, quorum malitia in una eademque actione duplicari et multiplicari potest; v. g. qui aureum furatur, peccatum unum facit, qui duos, etiam non nisi unum facit, et quidem ejusdem speciei: tamen secundi hujus peccati materia duplex est respectu prioris. Pari modo fieri potest, ut pravo quod datur, exemplo unus duntaxat scandalizetur, et alio modo exemplo ejusdem speciei triginta aut quadraginta scandalizentur, quum tamen nulla sit inter utrumque peccatum proportio. Quapropter, quam fieri proxime potest, facti quantitas particulariter est exprimenda, item quam multi una sola actione scandalizati sint; et ita consequenter de aliis peccatis, quorum malitia crescit aut minuitur pro objecti aut materiæ quantitate.

Quin etiam profundius penetrandum, et pœnitens examinandus circa desideria, et voluntates pure interiores, qualia v. g. forent desiderium et voluntas vindictæ alicujus, libidinis, et similium operum committendorum; etenim mali hi affectus peccatum sunt.

Etiam longius progrediendum, et excutiendæ inquirendæque ipsæ malæ cogitationes, esto nulla desideria

nec voluntas peccandi post ea secuta sint. Exempli causa, qui intra semetipsum de adversarii et inimici sui morte, ruina et infortunio cogitare gaudet, et inde voluptatem aliquam haurit, esto hujusmodi ei defacto contingere nolit, si tamen voluntarie et data opera aliquam ex hujusmodi imaginationibus et cogitationibus delectationem et voluptatem capit, contra charitatem delinquit, et illius se rei debet accusare. Idem judicium est de eo, qui voluntarie, utque aliquo modo se recreet, in cogitationibus et imaginationibus circa voluptates carnales diutius sese detinet, iisque oblectatur: interne namque contra castitatem peccat, cujus peccati se reum fateri debet, et ipsum confiteri. Nam esto corpus peccato applicare noluerit, cor tamen et animam ei applicuit: porro peccatum magis in cordis applicatione quam corporis consistit, ac nullo modo licitum est studio sese in peccato oblectare, tam per actiones corporis quam cordis. Dixi studio et data opera, eo quod malæ cogitationes, quæ nobis invitis, illubentibus, et non totaliter advertentibus et reflectentibus adveniunt, nequaquam sunt peccatum, aut saltem non sunt mortale.

Denique requiritur quoque, ut pœnitens alienorum se peccatorum accuset, idque ad exemplum Davidis: si enim malo suo exemplo, aut aliter quempiam ad peccandum pellexit, culpæ reus est, et hoc ipsum proprie appellatur scandalum; attamen e contra pœnitens inhibendus et impediendus est, ne suos in peccato complices, socios, et cooperatores nominet aut detegat, quantum quidem fieri potest.

CAPUT V.

CONFESSARIUS SOLLICITE ADVERTAT, NE QUEM ABSOLVAT, QUI GRATIÆ DEI SIT INCAPAX.

Videat deinde Confessarius, num pœnitens absolutionis accipiendæ sit capax; nam hæc certis quibusdam hominibus impertienda non est, quorum hic aliquot vobis genera recensebo, e quibus reliqua, quæ ejusdem notæ sunt, facili negotio colligetis. Tales sunt

Primo: qui excommunicatione majore et reservata innodati sunt: quos sine autoritate superioris Confessario illicitum est absolvere; nisi forte illa huic reservata non esset.

Secundo: qui aliquod habent peccatum Pontifici aut Episcopo reservatum, sine illorum nequeunt autoritate absolvi: remittendi ergo sunt ad eos, qui absolvendi potestatem habent, aut exspectare jubendi, quoad usque, si facile fieri id potest, ea sit impetrata.

Tertio: Falsarii, falsi testes, fures, usurarii, bonorum, titulorum, jurium et honorum alienorum usurpatores ac detentores; detentores item legatorum piorum, eleemosynarum, primitiarum, decimarum, litium falsarum patroni, aut intentatores, iniqui calumniatores, detractores, et in genere, quotquot in proximum noxii et injurii sunt, absolvi nequeunt, nisi, quam fieri potest optime, injuriam et noxam reparent, aut saltem re ipsa se reparaturos promittant.

Quarto: Conjugati, qui ob dissensionem aliquam a se invicem disjuncti vivunt, aut conjugii debitum reddere detractant, absolvi nequeunt, quamdiu in maligna hac adhuc voluntate et intentione perseverant.

Quinto : Ecclesiastici, qui malis artibus aut viis sua beneficia adepti sunt , aut qui plura incompatibilia sacerdotalia sine dispensatione legitima possident , aut qui sine sufficienti et legitima causa in Ecclesia sua non resident, aut quibus solemne est, Horas Canonicas non recitare , nec Sacerdotum ritu vestiri , absolvi prorsus non debent , nisi remedium se adhibituros et omnes hos defectus emendaturos promittant.

Sexto : Concubinarii , adulteri , ebriosi absolvi non debent, nisi summum concipiant et faciant propositum non solum peccata sua relinquendi , verum etiam occasiones eorumdem : concubinarii quidem ac adulteri suas fornicarias et pellices , quas a se removere et ablegare debent; ebriosi vero cauponas ; blasphemi lusum ; quod intellige de iis qui quemdam horum peccatorum admittendorum usum ac consuetudinem jam assumpsere , itaque sæpius in illa recidunt.

Septimo denique : Dissidentes ab invicem inimici , qui aliquo odio , rancore , inimicitia æmulum prosequuntur, absolutionis non erunt capaces , nisi ex sua parte velint ignoscere , et cum inimicis suis in gratiam redire.

CAPUT VI.

QUOMODO RESTITUTIO ET REPARATIO BONORUM ET HONORIS ALIENI POENITENTIBUS PERSOLVENDA SIT.

Ubi ergo Confessarius conscientiæ pœnitentis sui statum probe perspectum habuerit , id constituere ac disponere ipse a parte sua debet , quod ad illum gratiæ divinæ capacem reddendum requiri ac necessarium

esse videt , tam circa ea , quæ ad bonorum alienorum restitutionem , et gravaminum , damnorum et injuriarum , quæ commisit , reparationem spectant , quam ea , quæ ad vitæ ejus emendationem et peccandi occasionum fugam ablegationemque requiruntur.

Quod autem reparationes et restitutiones proximo faciendas spectat , inquirenda est ratio (siquidem fieri potest) ut illæ ita clanculo et secrete fiant, ut pœnitens nullam inde infamiam contrahat. Unde si res sit furto sublata , ipsa est aut propria restituenda , aut aliud ei æquivalens , idque per aliquem discretum virum , qui restituentem nec nominet , nec aliquo modo indicet. Si falsi sit criminis accusatio , aut simulatio , magna dexteritate procurandum est , ut pœnitens quasi aliud agens , et commoda quæsita opportunitate eos , apud quos de proximo male locutus fuerat , ad aliter de eo sentiendum inducat, dicens contrarium ejus , quod ante dixerat, nulla superioris sermonis mentione facta, vel eum simulando.

Sed quod ad usuras , iniquas lites , et alia id genus intricatiora conscientiæ gravamina pertinet , singulari et magna quadam opus est prudentia ad illorum restitutionem procurandam aut pœnitenti suadendam. Unde si hanc Confessarius prudentiam non habeat , magna cum suavitate pœnitentem roget , ut aliquod sibi tempus ad maturius et per otium de ea re cogitandum concedat , atque interim ipse alios doctiores consulat, uti sunt territorii cujusque commissarii , qui siquidem res requirat , et promereatur , nos aut Vicarium nostrum generalem super ea re consulent. Verum super omnia conandum , ne , qui consuluntur , aliquo modo aut ex

indagine , aut certis ex signis et verbis cognoscant vel conjiciant , quis ille sit , de quo agitur , nisi ipse expressam Confessario ad hoc facultatem aut copiam prius fecerit , imo ne tum quidem , videlicet illo consentiente , id faciendum est , nisi summa necessitate exigente et pœnitente extra et post confessionem id a Confessario requirente.

CAPUT VII.

DE CASIBUS RESERVATIS , DEQUE CONFESSIONE EORUM , QUI IN EVIDENTI MORTIS PERICULO ET ARTICULO VERSANTUR.

Porro casus Pontifici summo reservati satis multi sunt; at horum plerique sunt hujusmodi , ut trans montes et alpes nisi quam rarissime, aut fere nunquam adveniant : qui autem hic contingere et habere locum possunt , non adeo multi sunt. Sunt enim tantum quinque , præter eos , qui in bulla Cœnæ Domini continentur.

Primus est Ecclesiasticum et Clericum e malitia ac voluntarie occidere , aut graviter etiam percutere. Dixi *graviter ;* nam quum læsio aut percussio levis est , et injuria non tanti momenti , ab Episcopo percutiens poterit absolvi : nisi percussio tametsi in se levis , valde scandalosa fuerit , quando v. g. percussus est Sacerdos celebrans , aut in loco et conventu hominum honorabili , frequenti et admodum conspicuo.

Secundus est Simonia , et condescentia realis.

Tertius peccatum duelli, quo tenentur tam ad ipsum provocantes , invitantes, quam ipsi duellantes et certantes.

Quartus Claustri Monasteriorum Religiosarum reclusarum effractio, et violatio, quando mala intentione et fine hæc violatio fit.

Quintus violatio immunitatum Ecclesiæ, qui casus quintus quum ad discernendum et distinguendum difficilis sit, et non sæpius contingat, et non nisi per actiones publicas, vix in confessione privata deciditur, quin prius extra illam ab Episcopis eorumque vicariis sit decisus.

Casus Bullæ Cænæ Domini, qui trans alpes habere locum possunt, sunt etiam paucissimi.

Primus est hæresis, schisma, librorum hæreticorum lectio, Bullarum et litterarum Apostolicarum falsatio.

Secundus libertatum, immunitatum et privilegiorum Ecclesiæ, bonorum et hominum Ecclesiasticorum, et Clericorum, quæ voluntarie fit, violatio; bonorum Ecclesiasticorum, in quantum talia sunt, iniqua usurpatio.

Casus, quos nobis privatim reservavimus, sunt item numero pauci.

Primo, quod ad primum Decalogi præceptum spectat, reservavimus nobis magiam, veneficia, incantationes; ligularum (ut vocant) constrictiones, quæ ad matrimonii effectum impediendum fieri solent.

Secundo, quod ad quartum, reservavimus nobis parricidium, quod fit, dum aut pater, aut mater, aut socer, aut socrus occiditur, aut percutitur.

Tertio, quod ad quintum, reservavimus nobis homicidium voluntarie et deliberate commissum.

Quarto, quod ad sextum, reservavimus nobis bestialitatem, sodomiam, incestum in primo et secundo

gradu , sacrilegium , quod cum Monialibus et Religiosis Virginibus rem habendo committitur , filiarum ac fœminarum raptum et violationem.

Quinto, et quantum ad septimum præceptum spectat, reservavimus nobis voluntariam domuum alienarum incensionem , ac rerum sacrarum direptionem , expilationem ac furtum.

Porro in casibus reservatis duas vos regulas observare oportet.

Prima est , pœnitentes, qui eosdem commiserint, consolari , nec illos ad desperationem adigere. Sed modeste ad eos, quibus potestatem a reservatis absolvendi dedimus, quales per omnes diœceseos partes et loca satis frequentes constituimus , remittere : nam tametsi a casibus Papæ Romano reservatis absolvere hi nequeant , semper tamen modum et rationem ipsis suggerent , qua absolutionem ab iisdem consequi valeant.

Secunda est, in casu extremæ necessitatis , et in articulo mortis omnes et quilibet Sacerdotes , esto ad audiendas confessiones admissi non sint, cujuscumque demum generis aut qualitatis sint, ab omnibus omnino peccatis , qualiacunque ea sint , absolvere et possunt et debent. Imo qui in sua ægritudine Confessarium evocari jussit, si dein paulo post loquendi facultate privetur , nullum doloris aut contritionis signum dare potest , ob simplex hoc confitendi desiderium , quod habuit , absolvendus est. Imo quod amplius est , absolutione item donandus hic est, qui tametsi Sacerdotem evocari non jusserit, eum tamen videns aut audiens aliquod , quo se absolutionem obtinere velle ostendat, indicium signumve dat.

CAPUT VIII.

QUOMODO POENITENTIÆ CONFITENTIBUS SINT IMPONENDÆ, ET QUALIA POENITENTIBUS CONSILIA DANDA SINT.

Confessarius lenibus, placidis et consolatoriis verbis pœnitentiam imponat oportet, et tum maxime, quum eum contritum et de commissis extreme dolentem conspicit: semper quoque eum interroget, num eam libenter sit executurus. Etenim si illum ab ea aversionem, et idcirco non nihil turbatum videat, satius longe foret aliam faciliorem ei imponere: quum plerumque multo sit melius ac consultius pœnitentes placide ac leniter (ita tamen, ut peccatis ipsorum Confessarius non aduletur) quam dure et aspere haberi. Nihilominus pœnitenti Confessarius indicare non omittat, ipsum pro peccatorum et scelerum suorum gravitate longe graviorem quidem pœnitentiam promereri, sed eam mitigatam, ut, quæ illi jam injungitur, eo majore cum humilitate et devotione exequatur.

Pœnitentiæ non sint intricatæ, id est e variis precum et orationum generibus compositæ et conflatæ, v. g. non injungentur tria *Pater noster*, Hymnus unus, variæ orationes et Collectæ, Antiphona et Psalmi: nec per varias debent actiones et opera diffundi, v. g. non injungantur tres dies, quibus eleemosyna erogetur, ut tribus feriis sextis jejunetur, sacrum unum celebrari jubeatur, quinquies flagellis in corpus animadvertatur. Duo namque ex hac operum et orationum diversitate sequuntur incommoda; primum quod pœnitens eorumdem obliviscatur, unde ei postea scrupuli subnascuntur; alterum, quod magis attendat, aut cogitet, ad quid-

nam dicere aut facere debeat, quam ad id, quod dicit aut facit : et interim dum in memoria recogitat et investigat, quidnam sibi faciendum sit, aut in Officio suo quærit, quidnam recitandum, devotio omnis frigescit. Satius ergo et melius est injungere orationes, quæ omnes ejusdem generis sunt, v. g. omnes sint *Pater noster*, aut omnes Psalmi, et quidem se mutuo consequentes, quos hinc inde sparsos conquirere unum post alium non oportet.

Adhæc non inutile erit pœnitenti aliqua ex his, quæ sequuntur in pœnitentiam præscribere ; verbi causa ut hunc vel illum librum legat, quem ad pœnitentem juvandum confessarius maxime expedire judicaverit, ut anno durante singulis mensibus confessionem instituat, ut in aliquam Societatem se faciat inscribi : et hujusmodi opera non modo ad præteritorum peccatorum punitionem ac castigationem faciunt, verum etiam præservant : ne posthac in simila aliave incidat.

Hæc autem sunt consilia, quæ Confessarius in genere præscribere et injungere debet : inter quæ existimo præ aliis utiliora magisque proficua, ut videlicet sæpissime Confessionis et Sacratissimæ Eucharistiæ Sacramenta usurpet ; bonum probatumque sibi Confessarium ordinarium deligat ; Concionibus et verbi Divini prædicationi frequens intersit, libros pios et spirituales habeat, ac legat (atque inter cæteros eos, quos Lud. Granatensis composuit) malorum improborumque fugiat consortia, bonorum vero consectetur, Deum sæpe per orationem alloquatur, vesperi quum cubitum concedit, examen conscientiæ faciat, sæpe quoque de morte, extremo judicio, cœlesti gloria, et

inferni suppliciis cogitet, sanctas imagines (uti Domini in crucem fixi et alias) et habeat, et sæpissime exosculetur.

CAPUT IX.

QUOMODO DANDA SIT ABSOLUTIO.

Hoc jam facto, antequam pœnitenti Sanctam Absolutionem conferatis, eum rogabitis, num humiliter postulet peccata sibi sua remitti, et quum gratiam hanc a merito mortis et passionis Domini nostri Jesu Christi expectet, num etiam voluntatem habeat, et proposuerit posthac in timore et ex obedientia Dei sui vivere: Deinde ei significare poteritis, absolutionis suæ sententiam, quam hic in terra super eum pronuntiabitis, in cœlo approbandam et pro rata habendam. Angelos et universos cœli cives jubilaturos, dum eum in gratiam Dei restitutum videbunt: proinde aliter posthac vitam instituere procuret, ut in mortis suæ hora Confessionis hujus fructum recolligere valeat, quumque conscientiam suam jam in sanguine Agni immaculati Jesu Christi laverit, operam det, ne eam posthac amplius ullo flagitio commaculet.

His aut aliis ejus generis verbis consolatoriis prolatis, pileo sublato caput aperietis ad preces, quæ absolutioni præmittuntur, recitendas. Quamquam (ut docte prudenterque advertit Doctor Emmanuel Sa) in confessionibus eorum, qui confessionem sæpius instituunt, omnes, quæ absolutionem præcurrunt aut subsequuntur, orationes deprecationesque licite possint omitti, et simpliciter sufficiat dicendo: *Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris et Filii et*

Spiritus Sancti. Idem quoque observandum erit, quando multi sunt audiendi. Tunc quippe prudenter absolutio abbreviabitur, dicendo solum: *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius absolvo te ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Pari modo cum magna pœnitentium, qui sæpius confessiones faciunt, adest multitudo, moneri possunt, ut suum *Confiteor* separatim et sibi dicant, antequam se Confessario sistant, ut immediate, quum ad Confessarium venerint, et signum crucis efformarint, statim a sui accusatione incipiant. Hac quippe ratione nihil omittitur essentiale, et magnum fit temporis compendium.

R. P. Valerius Reginaldus Soc. Jesu SS. Theologiæ in Dolano Collegio Professor jam recenter evulgavit librum *de prudentia Confessariorum,* qui non contemnendam legentibus utilitatem pariet.

Hos viginti quinque articulos dignos censui, Fratres, quos, quia aliis pluribus occupationibus impeditus fui, melius componere atque explicare non potui, uti nec reliqua, quæ huc faciunt, scripto committere. Interim animam meam Divinæ misericordiæ commendate, quemadmodum ipse a parte mea sanctam illius vobis benedictionem ex corde exopto.

MONITA

S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGUORI

AD CONFESSARIOS.

1. Confessarium omnem operam studio moralis dare oportet et fere illius quotidie difficiliora perlegere capita.

4. Confessarius singulari charitate complecti debet præcipue peccatores omni auxilio destitutos.

3. Confessarius erga omnes eumdem amorem fovere debet, sine ulla exceptione personarum.

4. Confessarius confessiones mulierum, posthabitis viris, excipere caveat.

5. Confessarius magis pœnitentibus suis studere debet quam pater filiis, quia de salute animæ et de æternitate decernitur.

6. Confessarius adeo propensiori voluntate in mulierculam pauperem, sordidam ac pannis obsitam affici debet quam in principem feminam.

7. Confessarius non intendat delectum quorumdam pœnitentium sibi convenientium facere, aliter defatigationum suarum fructum amittet et sese periculo exponet suam conscientiam inquinandi et sibi infamiam inferendi.

8. Confessarius non sit fastidiosus ac iracundus; nam sic homines a Sacramento Pœnitentiæ repelleret.

9. Confessarius in Sacro Tribunali omnem vanum et curiosum sermonem devitare oportet, quo Sacramentum Pœnitentiæ in periculum violationis vocaret.

10. Confessarius interrogando sit omnino prudens ; munus explere eum oportet , ast modeste et breviter , præsertim dum agitur de vitio sanctæ puritati contrario.

11. Confessarius sese attente gerat cum recidivis , occasionariis , habituatis , scandalosis , calumniatoribus et venditoribus malæ fidei ; oportet enim , antequam illis absolutionem impertiatur , ut hi peccatores primum expleant ad quid tenentur , et signa moraliter certa conversionis præbeant.

12. Confessarius est Pater , Doctor, Medicus et Judex , quare debet amare , edocere , sanare ac æque judicare pœnitentem.

NOTIFICATIONES

S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGUORI

AD PAROCHOS, CONFESSARIOS ET SACERDOTES
SUÆ DIOECESEOS.

NOTIFICATIO I.

ARCHIPRESBYTERIS ET PAROCHIS ETIAM RURALIBUS ET RECTORIBUS ET CONFESSARIIS NOSTRÆ DIOECESEOS.

I. Interim mandamus id quod anno 1762 præcepimus, nempe : ut Parochi et Sacerdotes in Ecclesiis parochialibus celebrantes et in omnibus aliis Ecclesiis aut Sacellis etiam ruralibus a populo bis omnibus diebus festi recitari jubeant brevem Doctrinam Christianam in uno folio impressam, videlicet : in prima missa quæ ibi legetur, et in altera quæ celebratur quando major adest populi concursus.

II. Omnibus quoque R^is^ Curatis præcipimus ut majori diligentia singulis Dominicis post meridiem explicandæ Doctrinæ christianæ incumbant, adjutoresque adhibeant alios Sacerdotes præsertim Clericos suarum parochiarum, qui id recusare non poterunt; sed quivis Parochus ipse operam impendere debet semper aut sæpissime huic institutioni : et quando non ipse explicat saltem adesse debet, ut videat quomodo alii pueros edoceant. Animadvertat autem non sufficere, ut brevem doctrinam quæ ipsis prælegitur in Missa sciant, quum non sufficiat, ut res ad fidem pertinentes materialiter cognoscant; sed necesse esse curare, ut comprehendant

juxta captum suum ea, quæ voce proferunt. Tempore vero quadragesimæ necesse est, ut per plures hebdomadas ante hebdomadam sanctam Parochi singulis diebus illos instruant, præsertim circa Communionem Paschalem, quæ universim a parvulis sumenda est (ordinarie) circa annum 9 aut 10 aut 12 ad summum. Dolemus vero, quod in nonnullis partibus nostræ Diœceseos inventi fuerint pueri 14 aut 15 annorum, qui necdum ad sacram mensam accesserant. Speciatim attendant, ut parvulos doceant actus fidei, spei, caritatis et contritionis cum motivis, quæ actus præcedunt. Impense illis inculcabunt neminem salvari posse nec vires habere ad superandas tentationes, nisi oret, Deoque sese commendet, atque ab ipso hanc gratiam postulet. Similiter advertant Parochi, ut rite examinent sponsos circa materias fidei antequam matrimonium ineant, secundum præscriptum Benedicti XIV. Ipsisque notum faciant illos a nostra curia non impetraturos esse licentiam ineundi matrimonium, nisi inter alia acta, fidem quoque juratam Parochi adferant, quod omnia homini christiano scitu necessaria noverint.

III. Rⁱˢ Parochis in memoriam revocamus strictam obligationem prædicandi singulis Dominicis : doctores enim docent, parochum, qui per unum mensem continuum aut per 3 menses non consequentes prædicare omittat, non posse a peccato mortali excusari. Concio sit brevis, ut 3ᵐ horæ partem, aut ad summum semi horam non excedat, una cum actu contritionis, qui ad finem concionis semper cum populo eliciendus est. 1° In concionibus attendant, ut sæpius renovent memoriam Novissimorum, quippe quæ materia aptissima

est ad peccatores convertendos. 2° Sæpius memorent ruinam tot animarum, quæ propter peccata in confessione pudore celata pereunt; et ideo iterum commendamus, ut singulis mensibus semel Confessarius extraneus in Parochia adsit. 3° Deinde sæpius reprehendant parentes, qui juvenes in domos suas admittant, a quibus scandalum filiabus præberi possit. Ipsos admoneant, quod hac in re peccent, et casum reservatum simul cum excommunicatione incurrant. 4° Sæpius inculcabunt invocationem Jesu et Mariæ tempore tentationis, utque a Deo sanctam perseverantiam expostulent. Frequenter illos hortabuntur, ut Beatissimæ Virgini sese commendent, et ad finem cujusque concionis cum ipsis gratiam aliquam specialem ab illa divina Matre petant. Commendandum quoque ducimus singulos Parochos in nostra Instructione vulgari illa puncta practica perlegere, quæ salubriter populo communicari possunt, (vide ibid. cap. 7. incipiendo a n° 36-44). Maxime vero attendant, ut phrasibus popularibus et ad captum plebis accommodatis concionentur, quemadmodum Concilium Tridentinum præcipit; secus concio tam erit inutilis, quam si habita non fuisset.

IV. In memoriam revocamus et renovamus præceptum circa communionem pascalem a populo recipiendam: 1° ne ab ullo confessario (generatim loquendo) ad confessionem admittantur qui non afferant chartulam a proprio Parocho signatam, quod examinati fuerint et probati utpote quod sciant res circa fidem scitu necessarias. Illud vero examen secundum præceptum Benedicti XIV a Parochis etiam habendum est cum omnibus sponsis, antequam ipsis matrimonium inire liceat.

2° Quivis Parochus in conficiendo catalogo animarum per quadragesimam unicuique exhibere debet schedulam pro communione pascali, propria manu retro schedulam notando nomen proprium ad communionem accessuri, ut tempore præcepti pascalis elapso, Parochus ex schedulis receptis cognoscere possit illos, qui illud impleverunt aut neglexerunt. 3° Volumus, ut chartulæ, quas fideles accedendo ad communionem restituent, ab ipso Parocho, non vero ab alio, recipiantur; novimus enim haud sine dolore in nonnullis locis chartulas ab aliis fuisse receptas, atque ita nonnullos implendo præcepto defuisse. 4° Parochi iterum ovibus suis inculcare meminerint, quod præcepto minime satisfaciant, atque excommunicati sint illi, qui communionem pascalem non in propria Parochia percipiant, tametsi ad illam in hac Cathedrali S. Agathæ accederent. 5° Attendant Parochi, ut si qui post festum S. Trinitatis necdum satisfecerint confestim sine ullo respectu illos ad nos deferant, ut opportuna remedia adhibere possimus. 6° Commendamus Parochis, ut singulis annis cum parvulis communionem generalem, præter pascalem, celebrent Dominica infra octavam Assumptionis et Festi Nativitatis Domini.

V. Volumus, ut in testimoniis a Parochis exhibendis iis, qui ad Ordines promoveri cupiunt, referantur 1° ipsorum mores et bona aut mala fama, deinde si semper toga talari fuerint induti, si a ludendo chartis pictis, si a venatione et frequentandis societatibus mali nominis abstinuerint : quippe quæ omnia ipsis vetita sunt. 2° Num in Ecclesia servierint assistendo diebus festi mane Missæ, et dominicis post meridiem doctri-

næ christianæ parvulos docendo. 3° Num singulis quindecim diebus ad confessionem et communionem accesserint, quod ipsis præceptum fuit, et si in rebus hisce enumeratis defuerint, delictorum numerum scire volumus. Hujus rei cura graviter oneramus conscientiam Parochorum.

VI. Præcipimus Parochis ne sponsalium promissa accipiant, nisi quando pro certo habent matrimonium mox contrahendum esse.

VII. Advertant R. Parochi quod Sacramentum Viatici et Extremæ Unctionis attinet, Viaticum semper administrandum esse quando infirmus est in periculo mortis, id est, quando infirmitatem signa mortis comitantur. Extrema Unctio, inquit Papa Benedictus XIV in bulla 53. tom. IV. sui Bullarii nuncupata Eucholo-gium Græcorum § 46, semper dari potest quando infirmus *gravi morbo* laborat, id est, quando prudens timor mortis habetur. Unde quando dari potest Viaticum etiam administrari potest Extrema-Unctio. Et, ut loquitur Catechismus Romanus, (de extrem. unct. p. 9) peccant gravissime illi Parochi qui Extremam Unctionem administrare differunt, donec infirmus sensibus destitui inceperit.

VIII. Præterea quod attinet obligationes Missarum a Testatoribus legatarum. 1° In omni Sacristia tabella affigetur, in qua notentur Missæ, quibus Ecclesia aliive Sacerdotes tenentur, et etiam dies et altaria, quando et ubi Missæ celebrandæ sint, et pro quibus personis : insuper nomina fundatorum et benefactorum. 2° Præcipimus omnibus Curatis, Rectoribus, Æconomis et Procuratoribus Ecclesiarum, Sacellorum et aliorum

locorum piorum , ut infra mensem a morte testatorum ab ipsorum hæredibus aut executoribus testamentariis legata pia summa cura exigant. Quod si illi solvere recusant , illos per judices competentes cogant ; et si alia via exigendi nulla supersit, saltem nos de re confestim certiores faciant , ut ad remedia opportuna recurrere valeamus. 3° In memoriam revocamus, et si necesse sit, renovamus præceptum omnibus Rectoribus et Capellanis impositum, quod antequam missarum legatum acceptent obtinere debeant assensum nostræ Curiæ, ut illa judicet, num illud acceptandum sit, et num Capellani illud congrue explere possint.

IX. Feria V. Majoris hebdomadæ Parochi cujusque loci legant , aut legi jubeant infra Missam solemnem tabellam casuum reservatorum voce alta et lente , ut universus populus distincte eos intelligat.

X. Præcipimus , ut defunctorum corpora non sepeliantur ante horam 15 aut saltem 12 a morte. Et qui subito obierunt non ante horam 24.

XI. Expresse prohibemus Parochis , ne Clericis ac multo minus Laicis conservandos tradant claves tabernaculi , ubi sanctissimum Sacramentum continetur, et loci ubi conservatur oleum sacrum. Quod sacrum oleum attinet, sub gravi prohibemus , ne ad Ecclesias parochiales transferatur, aut aliis credatur, nisi aut presbyteris aut saltem ordinatis *in sacris.*

XII. Præcipimus omnibus Parochis , Rectoribus Ecclesiarum et beneficiatis, ut bonorum suarum Ecclesiarum vel Sacellorum inventarium conficiant, hocque saltem singulis decem annis renovent. Si in aliqua Ecclesia aut Sacello non habeatur hujusmodi inven-

tarium, aut singulis decenniis non renovatum fuerit, præcipimus, ut infra sex menses a die hujus Notificationis integre conficiatur, et ejusdem exemplar in Archivio Ecclesiæ conservetur, et aliud ad nos deferatur ut in Archivio nostræ Curiæ maneat. Præcipimus etiam Vicariis nostris forensibus, ut nos de morte cujusvis beneficiati quam primum post decessum certiores faciant.

XIII. Advertant insuper Parochi, quod obligati sunt ad residendum in loco suæ curæ commisso, nec sibi exire licet sine causa urgenti, et cum licentia Episcopi, cujus est et probare causam, et illum, quem Parochus in suum locum substituit. Advertant insuper, quod hanc legem violando non solum graviter peccent, sed etiam non acquirant fructus, et ad eos restituendos teneantur pro rata absentiæ, sive pauperibus loci, sive fabricæ Ecclesiæ. Eidem pœnæ subjacent curati, qui inutiliter resident, et circa hoc punctum S. Congregatio Concilii declaravit illum Parochum inutiliter residere, qui per duos menses non ipse exerceat officia præcipua sui ministerii, ut sunt: concionari, sacramenta administrare, præsertim Confessionis et Communionis quotiescumque ab aliquo ea petentur.

XIV. Advertant insuper Parochi, quod habitare debent domum Ecclesiæ adnexam aut saltem aliam domum vicinam, unde facile Ecclesiam Parochialem adire, et quo Parochiani facile ad percipienda Sacramenta ipsos convenire possint.

XV. Notent præterea declarationem Benedicti XIV in Bulla *cum semper* 1744, quod Parochi teneantur Missam pro populo applicare singulis Dominicis et

festis anni, tametsi non haberent retributionem sufficientem, nonobstante quavis consuetudine in contrarium introducta aut introducenda.

XVI. Advertant ultimo, quod ipsi Parochi teneantur ex justitia, et etiam quandoque cum periculo vitæ, ad admonendos eos, qui sunt in peccato mortali aut in proximo peccandi periculo ; idque non solum in necessitate extrema sibi subditorum, verum etiam in gravi, quotiescumque habetur spes emendationis, et qui huic obligationi desunt partem fructuum restituere tenentur.

NOTIFICATIO II.

CUNCTIS SACERDOTIBUS SÆCULARIBUS.

I. Sacerdotibus nostris commendamus, ut frequenter Congregationi casuum conscientiæ interveniant. Clemens XIII in Bulla *apostolici ministerii* admonet Episcopos ne Sacerdotes ordinent nisi qui saltem Theologiam Moralem rite edocti fuerint: *Episcopos in Domino hortamur, ut, quantum fieri potest, eos tantum ad Sacerdotium sumant, qui saltem Theologiæ Moralis competenter periti sunt.* Scriptura dicit Sacerdotem tantum scire oportere quantum sufficiat, ut omnia dubia, quæ contra legem Dei opponuntur, solvere valeat. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.*

Pudendum est Sacerdotem non solvere posse dubia conscientiæ quæ ipsi a Sæcularibus proponuntur. Idcirco hortamur omnes Sacerdotes, ut Congregationi casuum interveniant, quæ in tota nostra Diœcesi sequenti modo instituetur : Nomina omnium Sacerdotum

in urna collocabuntur, ut unusquisque ad respondendum paratus adveniat : deinde, cujus nomen sorte eductum fuerit, casum explicabit, qui in Congregatione præcedenti in chartula affixus fuerit ; postea spatium aliis relinquetur ad movendas difficultates, quibus respondebit Sacerdos, cujus nomen fuit eductum. Tempore convenienti Præfectus tintinnabulo signum dabit, et omnes mox tacebunt, secus disputatio nimis protraheretur. Tandem decisor destinatus quæstionem propositam solvet, exponendo sententiam, quæ sibi probabilior videbitur. Advertant porro nomen Sacerdotis sorte eductum iterum reponendum esse in urnam ; nec obstat, quod ejusdem Sacerdotis nomen iterum in Congregatione sequenti educi possit; nam si nomina educta non remitterentur donec omnia alia educta fuissent, Sacerdotes, qui jam responderunt, toto illo tempore casui proposito studere negligerent. Secretarius autem Congregationis, nulla cujusquam habita ratione, absentiam singulorum notabit; quia Confessarii, quando a Nobis prorogationem jurisdictionis petent, testimonium Præfecti adferre debebunt, quod numquam Congregationi defuerint : et si sine causa legitima, et sine Præfecti permissu ter abfuerint, difficile hanc prorogationem obtinebunt. E contra Sacerdotes simplices nulli pœnæ subjacebunt propter absentiam, sed in tribuendis beneficiis, ac præsertim Parochiis, aut ad concursum non admittentur, aut saltem in concursu non eadem consideratione utentur, qua hi, qui diligentes fuerunt in assistendo Congregationi.

II. In memoriam revocamus, et renovamus suspensionem *ipso facto* incurrendam ab iis, qui Missam infra

horæ quadrantem absolvunt, tametsi Missa sit votiva B. Virginis aut defunctorum. Simul omnibus Sacerdotibus commendamus, ut sese congrue ad illam celebrandam præparent, speciatim vero, postquam sacras vestes jam induerunt, non colloquantur cum aliis, nec in ipsa Sacristia spatientur. Commendamus etiam gratiarum actionem post Missam per semi horam aut saltem per quadrantem.

III. In memoriam revocamus gravem obligationem omni sacerdoti incumbentem, ne missam promissam pro vivis ultra duos menses, etpro mortuis; ultra mensem celebrare differat : itaque, ut culpa gravi vacet, saltem intra tempus memoratum celebrare debet.

IV. In memoriam revocamus, et simul renovamus suspensionem *ipso facto* ab omnibus Sacerdotibus et Ordinatis *in sacris* incurrendam, qui ludo aleatorio luserint, ut nonnumquam chartis pictis, tesseris et similibus vel aliis ludis licitis quidem, sed in loco publico.

V. Prohibemus omnibus Sacerdotibus et Clericis quodcumque venationis genus sclopeto aut retibus, sine expressa nostra licentia *in scriptis*, quam sciant a nobis numquam dari pro diebus festis in præcepto.

VI. Similiter prohibemus omnibus nostris Ecclesiasticis quidquam recitare in comœdiis, sint etiam repræsentationes sacræ, vel in domibus privatis actæ; idque sub pœna suspensionis pro ordinatis *in sacris*, et inhabilitatis ad ordines majores pro ordinatis in minoribus.

VII. Item prohibemus omnibus nostris Ecclesiasticis assumere sibi gabellas, sicut et alia munera pu-

blica, tametsi illa nomine ficto aut cum aliorum participatione conducerent.

VIII. Commendamus etiam Sacerdotibus junioribus, ut parochum in docenda parvulos Doctrina Christiana diebus Dominicis adjuvent. Sciant illos, qui frequenter huic sancto exercitio incumbent, in tribuendis beneficiis aliisque emolumentis benevolentia nostra speciali usuros.

IX. Admonemus Ecclesiarum Rectores, ut in libro notent Missas celebratas a Sacerdotibus, quibus illa obligatio incumbit. In hoc libro, qui singulis annis renovabitur, simul notabuntur omnes obligationes Ecclesiæ propriæ, cum nominibus testatorum et numero Missarum celebrandarum. Indicando eodem loco paginas ubi illa obligatio peculiariter notata legitur, et infra describentur Missæ, quæ hoc anno celebratæ fuerunt.

X. Insuper attendant Rectores ut in altaribus alte collocetur effigies Crucifixi (pro missa celebranda); ita ut superet candelabra secundi gradus : ita autem sit grandis, ut non modo a celebrante, verum etiam a populo assistente, conspici possit.

NOTIFICATIO III.

OMNIBUS SACERDOTIBUS SÆCULARIBUS ET REGULARIBUS QUI A NOBIS CONFESSIONUM EXCIPIENDARUM FACULTATEM HABENT.

I. Advertant Sacerdotes a Nobis approbati ad excipiendas confessiones sibi non sufficere, ut pro tali officio coram Deo non rei existant, approbationem ab Episcopo obtentam ; sed necessariam quoque esse ap-

probationem Jesu Christi illorum judicis, qui in articulo mortis examinaturus est, utrum bene, an male hoc officio functi fuerint : nempe hic significamus Confessario, ut bene officium suum exerceat, numquam esse omittendum studium Moralis. Hoc studium non ita facile est, ut nonnullii putant ; e contra admodum difficile et amplum , cum propter enumerabilia adjuncta, quæ in quovis casu conscientiæ occurrere possunt, et ideo semper studendo novæ semper cognitiones acquirantur , tum propter tot leges positivas hodiedum existentes. Quamobrem Sacerdoti librorum relegendorum incurioso, sensim memoria excident quæ antea noverat : ideo omnibus commendamus ne studium Moralis negligant; præsertim quando casus majoris momenti occurrent, ut contractuum aut obligationum ad restitutionem, impedimentorum matrimonii et similes. Tunc enim non solum libros verum etiam homines doctos consulere non raro necessum erit.

II. In Notificatione ad Sacerdotes directa, exponitur modus habendi Congregationem casuum conscientiæ quavis septimana, omnesque Sacerdotes admonentur ut si in provisionibus sui rationem haberi cupiunt, illi interveniant; Confessariis autem absolute præcipimus, ut semper illi intersint : sciant autem quod si ter sine legitima causa (de qua Præfectum certiorem facere oportet, atque ab illo obtinere licentiam) defuerint, difficile prorogationem jurisdictionis obtenturi sint. Et ideo volumus Secretarium Congregationis ad nos deferre cum Confessarios tum Sacerdotes indiligentes bis singulis annis, nempe : ad finem junii et ad finem decembris , ut sciamus quid cum illis agendum sit.

III. Omnibus Confessariis præcipimus, ut excipiendo Confessiones Patrum et Matrum illos rogent, num diligenter pueros suos ad Doctrinam Christianam mittant; et his absolutionem negent, si hac in re negligentes sint, secundum casum a Nobis reservatum.

IV. Confessariis renovamus præceptum ne tempore communionis Pascalis illorum confessiones excipiant, qui non afferant chartulam a Parocho signatam quod rudimentis fidei rite instructi sint. Id intelligendum est quotiescumque Confessarius probabiliter dubitabit, utrum pœnitens illa noverit.

V. Iisdem commendamus, quando ad confitenda peccata sese offerent homines, quorum conscientiam ignorant, ut illos interrogent, num aliquo scrupulo angantur ob peccatum aliquod in Confessione præ pudore omissum.

VI. Caveant ne absolutionem impertiantur iis, qui sunt in occasione proxima voluntaria peccandi, antequam illam dereliquerint. Et quamvis occasio sit necessaria, absolutionem differant, donec experientia probaverit occasionem ex proxima factam esse remotam. Speciatim caveant, ne absolvant sponsos aliosque juvenes mutuo amore præreptos et filias frequentantes, nisi prius omnem mali occasionem tollant : quod malum, tametsi primum non adfuerit, postea certo eveniet, si talis frequentatio non tollatur. Præ cæteris autem absolutionem negent parentibus et patribus familias, qui viros et mulieres simul convenire permittunt cum periculo impudicitiæ; nisi prius reapse talem periculosum conventum impediant, ipsisque in memoriam revocent excommunicationem cum casu reservato, quem capita familiarum hac in re peccantia incurrunt.

VII. Attendant pariter ne statim absolvant habituatos et recidivos in peccatum, præsertim in peccatum blasphemiæ et impudicitiæ, nisi et tempus et emendatio sufficienter probet ipsorum vitæ mutationem, aut nisi in ipsa confessione aliquod signum extraordinarium aut certum bonæ dispositionis præbeant. Signa autem illa in nostra Morali describuntur, omnesque Confessarios illa ob oculos habere oportet, ut in tribuenda absolutione rite procedant.

VIII. Medicos qui sese confiteri cupiunt, admonere curent de gravi obligatione monendi infirmos, ut confestim confiteantur, ubi adest dubium, utrum illorum infirmitas sit aut fieri possit mortalis, et si infirmi non confitentur, medici post tertium diem tenentur illos relinquere secundum Bullam S.ti Pii V.

IX. Si Pœnitentes peccata tantum venialia confiteantur, caveant ne ipsis absolutionem impertiantur nisi pro certo habeant illos et veram contritionem de illis culpis aut saltem de aliqua, cum bono proposito fovere; et quando de dispositione circa peccata præsentia dubitant, illos aliquod peccatum, jam antea confessum, et cujus illos vere pœnitet, confiteri jubeant.

X. Caveant, ne sub culpa gravi pœnitentiæ opera imponant, quæ Confessarii prævideant a pœnitentibus difficile impletum iri.

XI. Semper et fervide hortentur illos pœnitentes, qui in peccata gravia recidere solent, ut a Deo sæpius per diem sanctam perseverantiam postulent, et in tentationibus confestim ad Dominum et ad Beatissimam Virginem recurrant, dicendo et repetendo *Jesu et Maria,* quamdiu impetus tentationis durabit. Remedium illud

orationis et utilissimum omnibus et maxime necessarium est ad divinam gratiam conservandam, sed hæc invocatio tutissime pœnitentibus commendatur; quare Confessarios nostros hortamur, ut omnibus suis pœnitentibus illam commendent; speciatim vero si qui sint spiritu debiles.

XII. Omnibus suis pœnitentibus, quos ad pietatem magis dispositos reperient, inculcare satagant exercitium orationis mentalis, præsertim puellis et juvenibus; neque charitate sua indignum credant statim a principio eos edocere methodum illius orationis, ac postea diligenter ipsos interrogent, utrum illam non omiserint, eosque, si eam neglexerint, increpent. Non negligant omnibus et devotis et peccatoribus inculcare pietatem adversus Beatissimam Virginem, recitando Rosario, celebrandis novendialibus et speciatim sese illi commendando mane et vespere, recitando ter *Ave Maria*, ut a peccato mortali serventur. Difficillimum est animam in gratia Dei perseverare atque salvari sine speciali devotione erga matrem Dei, quæ ideirco vocatur *Mater Perseverantiæ*.

REGULÆ PRO CONFESSARIIS

EX VITA

S. FRANCISCI XAVERII

PER HORATIUM TURSELLINUM DESCRIPTA.

§ 1. *Confessarii benignitas in audiendo.*

Confessarios magnopere hortabatur, ut in confessionibus audiendis, animorum sanandorum cupidine accensi, comiter benigneque confitentes exciperent: quo spiritualium medicorum lenitas eos pelliceret ad omnia conscientiæ suæ vulnera haud cunctanter aperienda. Proinde ne initio præsertim confessionis gravitatem severitatemque præ se ferrent, sed facilitatem potius ac lenitatem. Itaque Patri Gaspari, Armuziam ituro, tale præceptum dedit: « Videndum est etiam atque etiam, ne inter audiendas confessiones metus obstet libertati, severe excipiendo delicta; sed pugnandum potius, ut timidis animum comitas addat, divinam efferendo clementiam, hominumque noxas elevando, donec libero animo atque ore peccatorum omne evomuerint virus. Et in hoc genere cautio adhibenda est vel maxima. Neque enim desunt qui pudore impediti commissa scelera majore scelere supprimant, salubri confessionis remedio in perniciem verso.

§ 2. *Remedium adversus verecundiam confitentium.*

Quocirca adversus exitialem illam verecundiam

omni ope et arte certandum est. Flagitiis eliciendis non alia via expeditior, quam denunciare, nos longe graviora fœdioraque aliorum cognovisse facinora; et simul illa ipsa, quæ timide cunctanterque exposuerint, aptis extenuare verbis, ut facilitate confirmatus pudor fidentius reliquas vitæ aperiat labes. Illud vero ad liberam vocem exprimendam ultimum (etsi raro assumendum cauteque) auxilium est, ut tua superioris vitæ peccata generatim scilicet universeque significes: quod ita esse ipse te usus docebit ac dies. »

§ 3. *Scelesti homines quomodo accipiendi.*

Hanc ille rationem adversus timidos præscribebat : aliam porro adversus diutinis flagitiis sceleribusque implicitos : Donec confitens delicta omnia evomuisset, inter fiduciam metumque hæsitanti animos facerent divinæ clementiæ misericordiæque commemoratione : nominatimque proferrent homines nefandis sceleribus infames, olim in gratiam a Deo receptos; in quorum numerum ipse quoque venire possit, si pari ingenuitate ac dolore sua confiteatur facinora. Ad ultimum perspectis omnibus conscientiæ vulneribus, eorum gravitatem ac turpitudinem acriter ostenderent, fluctuantemque animum impendenti numinis ira, suppliciisque in homines conscelerates divinitus expetitis territando, ad odium doloremque compellerent peccatorum : absolutione etiam, si res poscat, in allud tempus dilata.

§ 4. *Obstinati quomodo flectendi.*

Obstinatis vero animis non modo æterna inferorum

supplicia, sed etiam pœnas in hac vita ab hominibus facinorosis exactas proponi jubebat, nominatimque notos aliquot appellari, qui sua demum scelera gravibus et atrocibus luerint suppliciis, ut documento sui similibus forent. Ac se usu doctum aiebat, tales homines longe plus præsentibus corporum fortunarumque detrimentis commoveri, quam futuris animorum cruciatibus, qui procul abesse videantur.

§ 5. *Implicati negotiis homines quomodo accipiendi.*

Si quando locupletes atque opulenti negotiatores, Magistratus, aut Præsides vitæ solutioris ad confessionem accederent, ante omnia censebat eos sedulo admonendos, ut sumpto spatio bidui triduive, intentius in anteactam vitam suam inquirentes, delicta omnia (si diffiderent memoriæ) mandarent literis, dolorisque sensum contritionemque a Deo suppliciter peterent. Inde principio confessionis, rationem ab eis exquirendam dicebat munerum curationumque quibus præessent, negotiorum quæ tractarent; qua sedulitate, qua fide in iis se gererent gessissentve. Quippe hisce percontationibus explorari facilius posse, ecquid oporteret restitui, quam si generatim interrogarentur, numquid cuiquam restituere deberent: quia ad tales interrogationes prorsus abnuere consueverint, seu luri cupiditate, seu rerum inscitia excæcati. Confessionibus deinde eorum exceptis, mentes monitis quibusdam ac remediis curandas.

§ 6. *Differenda interdum absolutio.*

Neque tamen a confessione absolvendos illico, sed

posteaquam ea, quæ deberent, persolverint. Itaque Patri Gaspari de talibus hominibus præcipit in hunc modum : « Confessionem non continuo sequetur absolutio, sed biduum triduumve dabitur eorum pectoribus certarum rerum meditatione præparandis, ut interim animorum maculas lacrymis ac voluntariis eluant pœnis. Si quid cui debent, restituant : simultatibus, si quas habent, depositis, redeant cum inimicis in gratiam : a libidinis consuetudine, cæterisque, quibus impliciti sunt flagitiis expediantur. Hæc omnia absolutionem præcurrunt rectius quam sequuntur. Namque istiusmodi homines in ipsa confessione promittunt se cuncta facturos : post absolutionem, fidei datæ immemores, promissa irrita cadere patiuntur. Proinde elaborandum est, ut hi absolvendi repræsentent, quod præstare debent absoluti. »

§ 7. *Nutantes in fide confirmandi.*

De nutantibus vero in fide confirmandis, hæc eidem Gaspari præcepta dedit : « Nonnullos reperies, atque utinam non multos, in Sacramentorum maxime vero Eucharistiæ, labantes fide; sive quod jamdiu ejus fructu carent, sive quod magnam consuetudinem habent cum Ethnicis, seu quod impura quorumdam Sacerdotum vita apud imperitos, hujus Sacramenti officii majestati. Cum his igitur sic agendum erit, ut primo suspiciones eorum ac dubitationes elicias, deinde eos docendo in fide confirmes : ut verum Christi corpus in eo mysterio contineri haud dubie credant. » Nec aliud præsentius tanti mali remedium est, quam pia ac diligens ipsius Eucharistiæ frequentatio.

§ 8. *Mulierum familiaritas periculosa.*

Jam vero quoniam in familiaritate mulierum ferme plus periculi est, quam emolumenti, magnopere auctor erat confessariis, ut in confessionibus, in colloquiis, in congressionibus earum, in reconciliatione cum conjugibus cauti essent, intentique ad suspiciones rumoresque hominum, non tantum ad culpam crimenve vitandum.

§ 9. *Cum mulieribus caute agendum.*

Quibus de rebus egregia sane ac salubria P. Caspari Vicario suo reliquit monita, quæ attexere operæ pretium duxi. Cum mulieribus inquit, cujusvis conditionis non nisi luce palam, atque in publico, hoc est in æde sacra colloqueris. Nec unquam domum ad eas ibis, nisi forte graviore aliquo casu cogente, veluti ægræ cujuspiam confessionem excepturus : ac tum curandum erit sedulo, ut illius maritus adsit, aut cognatus aliquis, aut certe vicinus idoneus. Si forte virginem, aut viduam conveniri oportebit, ad ejus domum accedes, viris spectatæ integritatis comitantibus : quorum scilicet comitatus non solum offensionem, verumetiam suspicionem hominum excludat. Talia vero officia conveniendarum mulierum et rara sint et necessaria. Quippe lubricum negotium est, ubi minimum lucri fit maximo periculo.

§ 10. *Viri potius excolendi quam uxores.*

Et quoniam feminæ (quæ mobilitas ac levitas muliebris ingenii est) plerumque multum negotii confessariis facessunt, cum eis hæc maxime tenenda cautio,

ut viros Christo adjunctos impensius excolas, quam eorum uxores. Nam quum natura constantiores sint viri, et ab eis domestica pendeat disciplina; rectius profecto apud eos atque utilius opera collocatur. Recte enim sapiens. *Qualis*, inquit, *rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea.* Et simul multæ offensiones, sermonesque qui oriri solent ex feminarum familiaritate vitantur. Si quod inter conjuges oriatur dissidium, ad controversiam tollendam, animosque eorum sedandos, omnium primum id ages, ut uterque idoneis meditationibus preparati, sacram confessionem anteactæ instituant vitæ: absolutionemque tantisper si videbitur, differes, ut ad vitæ emendationem, concordiamque inter se constituendam paratiores revertantur: feminis affirmantibus se cnixius divinis rebus operam daturas, si abstineant a consuetudine virorum neutiquam habebis fidem.

§ 11. *Viri potius quam uxoris patrocinium suscipiendum.*

Nam et ille mulliebris fervor facile refrigrescit, nec unquam fere suscipitur sine gravi aliqua virorum offensione. Coram uxore cave culpam conferas in maritum, quamvis haud dubie penes illum sit culpa; sed re in præsentia suppressa, deinde sine arbitris, eum ad universam vitam confessione expiandam impelles: tum vero sub confessionem quam modestissime reprehensum admonebis, ut cnixe domesticæ studeat concordiæ. Ceterum omni cura, in id eris intentus, ne (quod suspiciosissimum negotium est) uxoris patronis videaris venire contra virum. Itaque is amice ac sen-

sim monendus est primum, ut suam ipse culpam agnoscat, demum comiter ac benevole absolvendus. Indorum quippe animos amor flectit, vis frangit. Cavebis igitur (ut paulo ante dixi) virum accusare audiente conjuge. Namque ut mulieres natura subimpudentes sunt, ac procaces; faciles viris ipsorum noxas, præsertim Sacerdotum judicio damnatas objiciunt. Quocirca satius est, re dissimulata, observantiam maritis debitam proponere uxoribus, et simul demonstrare ipsas, quod viros suos sæpe despicatui habuerint, gravi utique dignas esse pœna. Proinde demisse ac patienter, si quid molestiæ a viris accidat, perferre, eisque dicto audientes esse debere. Noli facile conjugis alterius de altero quærelis credere (sæpe enim et falluntur et fallunt) sed summa animi æquitate utrumque audies; nec incognita causa condemnabis alterutrum. Hoc eo dico, ut illis ad concordiam, tibi ad suspicionum fugam facilior pateat via. Quod si quando eos inter se reconciliare ipse nequiveris, ad Episcopum aut Vicarium generalem rem totam rejicies; sed ita, ut neutrum lædas e dissidentibus. Lædas autem necesse est alterum, si alteri magis favere videaris. Summa profecto prudentia opus est, ut ne quid offendas in hoc seculo nequam, longeque prospiciendi adversi rerum, quæ geruntur, eventus. *Adversarius namque noster diabolus* non cessat, sed *circuit quærens quem devoret.* Maximæ autem imprudentiæ est, incommoda, quæ ex actionibus quamvis bono animo susceptis evenire possunt, minime providere.

§ 12. *Pecunia nulla ratione accipienda.*

Pecuniam vero neque restitutionis, neque eleemosynæ nomine dividendam pauperibus accipere Confessarios volebat : sed vel arbitrio erogantium, certis piis operibus nominatim, vel generatim Sodalitati Misericordiæ, attribuendam curare : ita melius et Sodales illos pauperum egestati, et Sacerdotes Societatis famæ utique consulturos. Si qui ad confessionem accederent, non tam peccatis, animorumque suorum incommodis, quam paupertati ac difficultatibus rei familiaris remedium petituri ; hos, de usu sacræ confessionis admonitos, ad curam traduci jubebat animorum, demonstrando quanto graviora animorum incommoda sint, quam corporum, postremo, si videretur, Sodalitati Misericordiæ commendari. Confitentibus porro non festinatam, sed diligentem navandam operam censebat, monens, ut præoptarent confessiones paucas rite factas audire, quam multas temere properatas. Qui enim confitentes intentius excuti posse ? qui eorum odiis, fraudibus, vitiis adhiberi remedia, nisi per otium curarentur ? An vero dubium esse, quin confessio una recte instituta multis cursim peractis præferenda sit ? quum præsertim confessio aditum aperiat ad Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum. Postremo monebat Confessarios, ut, sumpto spatio, in auditas ab se confessiones inquirentes viderent intentius, ecquid in delictis aliorum expiandis ipsi deliquissent, et quæcumque in alienis peccassent confessionibus, expiarent suis, eaque delicta in posterum summa vi corrigere niterentur. Hoc quippe studium ad recte atque utiliter Confessarii munus obeundum maximo adjumento futurum.

EPISTOLA PASTORALIS

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI

D. HUMBERTI GUILIELMI

A PRÆCIPIANO,

ARCHIEPISCOPI MECHLINIENSIS,

SUPER PRÆCIPUIS ECCLESIÆ BELGICÆ TURBIS;

per alios quoque RR. ejusdem Provinciæ Ordinarios adoptata, ac a Summo Pontifice laudata.

HUMBERTUS GUILIELMUS *Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis, Primas Belgii, etc. omnibus Archidiœcesis Nostræ Archipresbyteris, Pastoribus, etc. Salutem in Domino.*

Ut primum placuit Divinæ Providentiæ humeris nostris sub minori pondere tantum non fatiscentibus graviorem sarcinam imponere, mox decreveramus (quandoquidem omnes et singulos, qui in partem curarum nostrarum vocati estis, et alloqui et amplecti in Domino curam non licebat) per communem epistolam universos convenire, qua Pastoralem affectum et Paternam solicitudinem sincere promeremus, et sui quemque officii, dubiis hisce et periculosis temporibus

commonefaccremus , aut currentibus ut aiunt , et in commisso sibi grege tuendo vigilantibus adderemus calcar : ita suadebat Decretum Synodi Mechliniensis II. (1) ita muneris nostri ratio ; ita Sanctissimorum ac Sapientissimorum Præsulum exemplum. At ingruentium negotiorum mole pressi hactenus non potuimus tam salutaria consilia exequi. Et potuisset videri forte nonnullis status rerum Diœcesis nostræ nobis non satis perspectus , si statim scripsissemus. Fama duci nos , et rumoribus maligne sparsis jactasset quispiam, quamquam non petitis e longinquo. Nunc postquam diligenti studio , consultis omnis generis, atque Ordinis gravissimis viris , partium affectu liberis , deque felici Ecclesiæ statu solicitis, explorata et comperta sunt omnia, non videbimur temere et injuste nonnulla in quibusdam desiderare, interdum etiam queri vel de innovata et corrupta Ecclesiastica disciplina , vel de contentionibus et dissidiis , quæ quotidie magis et magis gliscunt , satana novam semper materiam serente , et interspersis felici tritico zizaniis agrum Dominicum deformante.

Sane quantum dolorem in animis nostris hæc velut Civilia et fraterna bella creant , tantum inter vicinos Heterodoxos plausum excitant et lætitiam , dum mutuis nos vulneribus fatigari jactant , et alternata strage rapi præcipites. Neque jactant ex vano. Audiunt pene indies cani classicum : libellos legunt amarulentia plenos , quibus Catholicum nomen scinditur , nescio quo prætextu pietatis et religionis reformandæ titulo , nihil nisi odium spirantes atque vindictam. Vident

(1) Titulo 16. Cap. 2.

aram aræ oppositam, et crucem cum cruce ceu infesta signa concurrere. Hanc animorum tam fatalem discordiam quam magno mercatam velint ipsi, sponte sua nasci, foverique gaudent, quando interim alta fruuntur pace, non fruituri, nisi nos dissentiremus inter nos. Ut expavescerent, si mutatis consiliis, junctis viribus, animisque sociatis rueremus in excidium inimicæ 'gentis, et accepta cœlitus dona, et quæsita studio, et industria aucta impenderemus justis bellis, et triumphum aliquando merituris! Nunc abutimur ingenio, litteris abutimur, otium terimus, vires consumimus, et post omnia non nisi de fratribus victis oppressisque gloriamur.

Jam spes crescit Hæreticis, animisque inflantur, quum nonnullos videant ex iis, qui se Catholicos profitentur, indies minus et minus a suis placitis abhorrere; de Romani Pontificis auctoritate contemptius et sentire et loqui; Ecclesiam sui illis temporis vilescere, nihil suspirare nisi antiquam; disciplinam Ecclesiasticam non tam reformandam poscere, quam privata auctoritate invertere; iisdem armis uti, quibus usi fuerint majores sui, iisdem pugnare artibus, quamquam minori cum violentia, et majori cum vafritie, quibus illi depugnaverint; Religiosas familias, quas ipsi semper experti sint infestiores, magisque habeant invisas, atrocibus calumniis incessi, et tantum non obrui; e Clero viros novitatum osores, antiquæ disciplinæ retinentes nihilo excipi clementius; sus deque verti paulatim omnia. Ex hisce tot malis magnam augurantur ad suas partes mox factum iri accessionem.

Interim Catholici nominis imperitum vulgus studia

in contraria rapitur , aut hæret incertum , quibus se potissimum Doctoribus addicat , dum probant hi quod improbant isti : dum velut salutarem doctrinam ac divinitus datam instillari audiunt ab his , quam velut animorum toxicum ac certissimam perniciem execrantur isti , et execrandam monent. Quid agat infelix multitudo , cui non satis est in grandibus Religionis Arcanis discernendis judicii ? Quo se vertat ? quos potissimum sequatur vitæ duces ac magistros ? Hos audit pingi ut Hæreticos , ut morum corruptores , ut Sacrorum profanatores ab illis , illos ab his.

Hærent ut plurimum consilii inopes pii Fideles , quoties frequentem cibi Eucharistici sumptionem commendari audiunt , ut habebant a majoribus suis commendatam , tamquam alendæ in Deum pietati , et charitati unice necessariam ; rursus deterreri se a nonnullis intelligunt , tamquam ab ancipiti et plena periculi medicina , nisi adsit animus terrenis liber affectibus , et humana imbecillitate quodammodo altior. Adducuntur utrimque argumenta et SS. Patrum testimonia speciosis deducta coloribus , quibus fucum detrahere non est nisi Eruditorum.

Neque minus ambigunt aut affliguntur incerti animis, quoties a sacris Tribunalibus repelluntur tamquam indigni venia , tamquam destinatæ orco victimæ , et a secunda post naufragium tabula dejiciuntur , Sacramenti fructu frustrati , a Sacerdotibus priscam severitatem professis ; quando interim nulla facta mutatione, exposita eodem modo lapsuum suorum serie , non aliter proposita morum emendatione, eadem præmissa doloris testificatione, ambabus ulnis admitti se vident,

veniaque donari ab iis, qui non minus matris suæ senescentis auctoritatem venerantur ac suspiciunt, quam primum nascentis incunabula ; si tamen tum tam austera fuit in occulte reos, quam nobis adumbran ætatis nostræ Severistæ. Quibus habebunt fidem pœnitentes, quando hi veræ Pœnitentiæ ac salutaris resipiscentiæ difficultatem mirum quantum exaggerant; elevant, et attenuant isti, pauci auream mediocritatem servant? Hi pœnitentiæ opera vitæque emendationem præmitti veniæ volunt ; istis satis est, si consequantur? Hi mulctas a reis exigunt graves, duras, diuturnas : leviores illi, humanæque imbecillitati accommodatiores ? Mutuam hinc atque hinc nonnulli incautius, ne graviori utamur verbo, peccata condonandi, aut veniæ suspendendæ praxim vellicant, admordent, calumniantur ?

Haud minor oboritur in animis perturbatio, quoties percipiunt Sanctissimæ Virginis Dei Matris cultum, in quam affectum quemdam tenerum cum ipso lacte suxerunt, Parentibus et Institutoribus solicite inculcantibus, nunc oblique perstringi : Imagines viliori loco haberi : Peregrinationes voti causa susceptas tacite rideri, aut Erasmi inficetis, nec satis Christianis salibus aspergi: pios cœtus aut sodalitia in Virginis honorem erecta, vel privatis colloquiis, vel editis sine nomine libellis proscindi : dum eadem omnia priscæ pietatis tenaces alii tuentur ac vindicant, perque hæc ut avorum memoria, sic et nostra, Catholicos ab Heterodoxis, tamquam certa nota seu criterio secerni volunt.

Quod de cultu Virginis, cæterisque in eam pietatis

Officiis jam diximus , de cultu Sanctorum , Adoratione imaginum , ac venerabilium Reliquiarum dictum quoque esto. De his quoque nonnulla temere disseri scribique , et populum novitatis hujus impatientem concitari , plus quam nimis compertum est. Quid quod nonnulli eo processerint audaciæ , ut communicata cum piis Fidelibus Christi ac Sanctorum merita ex Ecclesiæ thesauro , cujus depositarius est Romanus Pontifex , sive sacras , ut loquimur , Indulgentias et libellis sine nomine editis , et interdum etiam pro concione , multo sæpius in colloquiis privatis , vel flocci faciant , vel Christiani populi juste collocatam in iis fiduciam redarguant pene ut superstitiosam aut inanem? Quid quod repertus est non nemo, qui usitata Catholicos inter in mortuorum solatium sacrificia obliquo dente arrodere non sit veritus, ac si plus levaminis ex iis habeant Sacerdotes ipsi in suis tricliniis accepto stipendio , quam mortuorum animæ in piacularibus flammis ?

Hanc temeritatem jure merito castigant sanioris Theologiæ Patroni , et adversus hoc virus salutare offerunt antidotum. At interdum avidius venenum bibitur , quam potio salutifera. Plures pestifer halitus afflat , quam sanioris auræ spiritus recreet. Lolium et avenæ steriles , herbæque aliæ vel noxiæ , vel inutiles nullo serente , nullo curante crescunt : triticum sæpe sedulam cultoris spem et industriam eludit. Ita pars bona simplicis vulgi , nihilque fraudis suspicantis sensim sine sensu a Patrum suorum institutis deficit , ut est multitudo novarum rerum cupida : pars aut indolis et ingenii quadam felicitate , aut animarum Cura-

tores magis integros nacta , quasi se non sinit et a majorum semitis abduci : pars hæret pendens animi sacrum inter et saxum , nec statuere per se potest , quid tandem debeat amplecti.

Perturbari quoque necesse est multorum animos , quoties libros quosdam nescio quibus auctoribus scriptos commendari sibi , offerri , obtrudi vident vernaculo sermone grandia mysteria , nec cuilibet vulganda complexos , a certis hominibus tamquam cœlo lapsos, tamquam Spiritus sancti , si ita loqui fas est , myrothecia , tamquam limpidissimos aquarum vitalium ac salutiferarum fontes ; quos alii velut ex orco erutos , velut diaboli armamentaria , velut venenatos lacus et putrida stagna , flammis dignos , damnatorum dogmatum plenos , manibus excutiunt , sine gravi flagitio et præsenti salutis discrimine evolvi non posse contestantur.

Quid pronius , quid formidandum magis , quam ut hinc Ecclesiæ nostræ aliquando accidat , quod inter Corinthios olim evenisse multum queritur ac deplorat Apostolus, ut dum hi se Cephæ esse dicunt, isti Apollo, tandem esse se Jesu Christi obliviscantur.

Profecto hæc omnia nescio quam schismatis imaginem nobis repræsentant, proque una Ecclesia geminas: tanta est et morum , et studiorum , et affectuum diversitas ; tam exacerbati et abalienati animi ; tanta apparet vindictæ et nocendi cupiditas , quæ dictis et factis quotidie proditur. Utinam vanus sit multorum gravissimorum Virorum metus magnopere pertimescentium , ne crescentibus odiis , et improbandi atque innovandi libidine, excusso tandem obedientiæ frœno,

inconsutilis Christi tunica diripiatur in partes. Nostrum est pro virili nostra grassanti malo occurrere, et imminentem salutaribus consiliis dissipare tempestatem ; animos dissidentes componere, ad concordiam et saniora consilia compellere ; noxias herbas a salutiferis secernere ; inter probam atque improbam doctrinam distinguere, ne Christiana plebs sub fallaci pietatis, reformationis, et severioris Ethicæ specie præcipitetur in exitium ; pacem animis dare, et cœlesti scientia, quæ descendit a Patre luminum, stabilire cor.

Hunc in finem visum nobis est nonnulla in Domino præscribere, non nostro solum concepta dictu, aut spiritu, sed ex ipsis Ecclesiæ Catholicæ luminibus deprompta, præsertim quæ ultimis hisce sæculis vitæ hujus noctem atque tenebras insignibus vitæ sanctioris et doctrinæ excellentioris radiis illustrarunt atque dissiparunt : ex S. Caroli, inquam, Borromæi, et S. Francisci Salesii instructionibus ac libris, quorum alterum *plura scripsisse ad Episcoporum instructionem utilissima :* alterum *scriptis cœlesti doctrina refertis Ecclesiam illustrasse* monemur in annuo Ecclesiastici officii penso. Ad horum doctrinam Evangelico spiritu plenam componere atque effingere Pastoralia monita certum habemus, eumdem spiritum, quem ab animarum Curatoribus sibi subjectis exigebant illi, a vobis exigere : eamdem inculcare disciplinam, quæ nemini non debet esse cordi, et nulli bono potest esse gravis. Deus conatus nostros fortunet et prosperet, quæque ipsius, cui studemus unice, tum honori, tum gloriæ potissimum serviunt, inspiret.

CAPUT I.

DE AUCTORITATE SEDIS APOSTOLICÆ.

Stetur Ecclesiæ ac Pontificum Romanorum Constitutionibus et Decretis tam in dogmatis quæ ad fidem, quam quæ faciunt ad mores. Ad hanc amussim falli nesciam exigamus omnia, quæ scripturi vel dicturi sumus.

Ab his, non dicimus abire, sed vel ad latum unguem desciscere religio esto. Procul absint exceptiones frigidæ, aut veteratoriæ cavillationes, aut distinctiones juris et facti, sensuumque, damnatarum omnium propositionum excusatrices, quibus eorum auctoritas vis ac robur eludatur. Nemo pro libidine detorqueat, aut sensus illis affingat alienos. Nec calamo, nec ore verbum ullum excidat erga Sedem Apostolicam vel injuriosum vel minus reverens. Pari cum voluntate suscipiamus sive quum quædam sancit præjudicatis nostris opinionibus faventia, sive quum definit contraria. Alias non tam audire dicendi sumus cœleste oraculum, aut Apostolorum Principem Petrum Pontificis ore loquentem, ut audire se profitebantur olim Patres Sanctissimi, quam affectus nostros, animorumque morbos. Quem in Leone Primo venerabantur illi Spiritus sancti afflatum, nos in ejus successoribus veneremur. Non illi magis, quam his promissus erat divinus ille spiritus, qui quos agit falli non sinit.

Ad hanc omnium animis ingerendam altius erga supremum Christi in terris Vicarium reverentiam, juverit frequenter ruminare, et profunde memoriæ insculpere melliflui Doctoris plena Majestate verba de

Romano Pontifice non minus vere, quam magnifice pronuntiantis, quod sit (1) *Sacerdos magnus, summus Pontifex, Princeps Episcoporum, Hæres Apostolorum, Primatu Abel, Gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, Dignitate Aaron, Auctoritate Moyses, Judicatu Samuël, Potestate Petrus, Unctione Christus: nec modo Ovium sed et Pastorum unus omnium Pastor.*

Si personas tot atque tantas in uno Romano Pontifice cum Bernardo omnes suspicerent, si Constitutiones ejus ac decreta omnia pari alacritate et sinceritate tamquam a Spiritu Sancto dictata, *tamquam a summo Apostolorum vertice divinitus perscripta*, cum Patribus sextæ Synodi *expansis manibus* amplecterentur; nemo quidquam exciperet, cavillaretur nemo, cessaret magna ex parte contentionum, turbarum et criminationum materia: non audirentur amplius invidiosa nomina: evellerentur e multorum animis suspiciones sinistræ: quas nec improbabiles, nec injustas facit quorumdam tergiversatio, Decretis Pontificum, qua parte de libri cujusdam sensu pronuntiant, detrectantium subscribere, et cum aliqua nominis sui jactura recusantium. Non reperirentur posthac, qui dicerent sub dolosis cineribus igniculos delitescere, in funestum Ecclesiæ, nisi Deus averterit, prorupturos incendium. Hoc gravissimum mutuæ concordiæ obstaculum quid est, quominus quam primum tollant, si sunt, quales se prædicant, genuini pacis et Ecclesiæ Romanæ filii?

Hanc tam necessariam animarum Curatoribus erga

(1) Lib. 2. de consid. cap. 8. ad Eugenium.

Romanum Pontificem, Sedem Apostolicam, Ecclesiam Romanam, quam (1) S. Franciscus Salesius (2) *Columnam et firmamentum veritatis appellat, quæ nec fallere possit, neque falli*, observantiam quam vestrum omnium pectoribus insitam cupimus, memores Decreti Synodi Mechliniensis II. subjectis vestris gnaviter, sedulo, constanter imprimite, inculcate, insculpite, et hanc nostram mentem omnibus fideliter aperite. Pronis animis hæc vestra hortamenta excipient, ut sunt erga Sedem Apostolicam pii, et experiemini in aliis rebus omnibus vobis ipsis obsequentiores, si vos ipsi viderint exemplo obedientiæ debitæ prælucentes.

CAPUT II.

DE LIBRIS PROHIBITIS GENERATIM.

Libros ab Apostolica Sede proscriptos nec penes se quisquam vestrum habeat, nisi cui forte justis de causis concessa est Facultas, nec in suorum manibus versari ullatenus patiatur; nedum, quod ab insigni flagitio Orthodoxus nemo excusaverit, legendos obtrudat ipse, jam non bonus Pastor, sed Lupus. Qua de re consuli possunt potissimum gravissima S. Caroli Decreta, tum in Concilio Mediolanensi I. tum in (3) III. condita; ubi SS. Præsul gravissimis pœnis sibi subjectos adigit, ut ejusmodi libros, si qui forte nacti fuerint, mox in manus Episcopi, aut pravitatis Hæreticæ Inquisitoris consignent. Et sane nihil potuit statui

(1) Præfat. in libro de amore Dei circa finem.
(2) Tit. 17. Cap. 2.
(3) Part. 1. tit. 4.

æquius. Quid enim tantopere depravat hominum mentes, quam librorum noxiorum lectio ? Non aliunde facilius perniciosæ doctrinæ venenum bibitur, nec altius subit incautorum animos : præsertim quum non propinetur aperte , sed miro cum artificio, et sub obscura quadam ambage verborum , qua plurimum uti amant malarum mercium propolæ. Ubi regnat sæpius meretricia eloquentia quæ nihil fundit nisi rosas et lilia , quas interserpat subtiliter aconitum ; ubi inter sententiarum optimarum gemmas noxius et pene inaspectibilis pulvis inspergitur , maligna manu temperatus ad lentam , eoque interdum certiorem , legentium perniciem.

Non est autem nostrum curiose hic excutere , qua potissimum de causa liber proscriptus sit , atque hac ratione vel nos ipsos , vel alios fallere. Satis esto proscriptum esse , ut excutiamus manibus , et anguem in herba latere suspicemur , qui priusquam pedem referamus, mordere possit, et occultum animis ac letiferum venenum inspirare ; multo minus fucos ac colores quærere , quibus vel nos vel alios studeamus eximere Ecclesiastis Præceptis et censuris lectionem ejusmodi librorum severe interdicentibus.

Non possumus dissimulare quantopere nos afflixerint hac in parte multorum optimorum Virorum justissimæ querelæ , alte ingemescentium intolerabilem quamdam licentiam , et tantum non Ecclesiasticarum Legum contemptum , in hanc nostram Diœcesim irrepsisse , quorumdam hominum negligentia dicamus an consilio? Qui pro muneris sui ratione non solum non viam obstruxere irrumpenti malo , verum ipsimet et verbo et

exemplo dicuntur aperuisse. Neminem accusamus : male sibi conscius facti pigeat , culpamque hanc minime levem seria pœnitentia, et majori posthac cautela eluat, reductis etiam in viam, si quos forte seduxerint. Quem non misereat gregum ejusmodi , ut Prophetica comparatione utamur , quos non tantum custodiunt muti canes , qui ad luporum incursionem præ metu latrare non ausint , sed dentibus ipsi suis quovis lupo rapaciores pecus innocuum dilacerent , in partesque rapiant ! Quorum custodes ipsi custodiendi sint , ne grassentur hostiliter ! Non erit injuriosus cuipiam , neque rem exaggeraverit , quisquis dixerit hisce canibus similes esse animarum Curatores istos , qui paginas vel Fidei vel morum corruptrices (tales quippe censendæ , quotquot Roma proscripserit) non solum non eripiunt , aut extorquent suorum manibus , sed ipsi ingerunt , operose commendant , quodque est omnium pessimum , suos pro imperio ad lectionem adstringunt. Infelices animæ multumque miserandæ, non Custodibus sed Latronibus commissæ , non Medicis , sed homicidis , qui pestem , ut præ se ferunt , non arcent , sed cum cura dividunt , atque spargunt per familias fœdissimæ contagionis Auctores.

Ut huic tam præsenti malo , quod radicitus extirpatum volumus, quantocius occurratur, utemur T. Caroli consilio suadentis , ut Episcopi regulas indicis de libris vetitis ab omnibus servari jubeant , curentque. Illas igitur habetote vos ipsi primum vobis familiares ac sanctas , atque curæ vestræ commissos pro rei gravitate diligenter exponite. Ante omnes accuratius inculcanda est illa Clementis VIII. quam non gravabi-

mur hic attexere. *In universum autem de malis et perniciosis libris id declaratur atque statuitur, ut qui certa aliqua lingua initio editi, aut deinde prohibiti ac damnati a Sede Apostolica sunt, eosdem quoque in quamcumque postea vertantur linguam, censeri ab eadem Sede ubique gentium sub iisdem pœnis interdictos et damnatos.*

CAPUT III.

DE LECTIONE S. SCRIPTURÆ, ITEM MISSALIS, IN LINGUA VULGARI.

Alte etiam omnium animis insidere, et distincte populis explicari volumus, quod habet regula IV. Indicis, experimento manifestum esse, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri. Quare moneant et diserte edicant Sacrorum voluminum lectionem in patrio aut vernaculo sermone non esse cuilibet permissam, sed petendam facultatem a Parocho vel Confessariis, iis videlicet, qui præditi sunt hac potestate, quæ tamen non concedenda est, nisi iis, *quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed Fidei ac pietatis augmentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant.*

Si periculosa est hominibus indoctis, parumque perspicacibus Sacrorum Voluminum lectio, patria lingua a Catholicis probatisque Auctoribus versorum, quanto periculosior erit, si suspecti homines Fideique ambiguæ iis vertendis manus admoverint, et conceptum animo virus in illa subtiliter et maligne infude-

rint ? Quanta hinc imminet ruina ? Ut enim nobilissimum ciborum ac delicatissimum genus, quale erat olim apud Romanos Boletus, hodieque est, quod et facile venenum suscipit, et tegit, si multitudini apponatur, ingentem edit hominum stragem ; et quia voratur avidius et quia nulla se parte malum prodit : ita libri quo res tractant magis pias, magisque cœlestes, si contingat simili nequitiæ fermento esse respersos, hoc amplius nocere nati sunt, et mentibus simplicium inferre perniciem. Vulnus quippe acceptum est priusquam persentiscant ; quando illic nihil nisi pium, nisi sanctum, nisi divinum hauriri posse Lectores sperant.

Quare quum Sedi Apostolicæ, semper adversus omne Religionis periculum vigilantissimæ, Versionem Novi Testamenti Gallicam, quam Montensem Auctoribus appellare visum est, severissimis verbis, et magnarum interminatione pœnarum proscribere placuerit, damnatus ille liber Diœcesi nostra exulet. Nullus in eum manus deinceps aut oculum conjiciat, nisi quem exemerit constitutis illic pœnis major auctoritas, et eruditio extra periculum posita. Hanc nostram mentem Pontificiæ consentientem omnibus sibi subjectis clare enuntient, ac salutarem horrorem incutiant, si quos forte curiosa temeritas, et novarum rerum libido in transversum abstulit adhuc.

Edicant similiter vetuisse *perpetuo* Romanum Pontificem Alexandrum VII ne quis legere attentet Arcanum Volumen et profanis oculis non intuendum, quod Missale dicimus, Gallico pariter idiomate versum ab hominibus res semper novas molientibus, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Adjiciant Pa-

pam hunc, infensissimum novitatum omnium hostem, severissime in ipso brevi Auctores accusasse *temerarii conatus*, (1) *quo sacrosancti ritus Majestas latinis vocibus comprehensa dejicitur atque proteritur, ac Sacrorum Mysteriorum dignitas Vulgo exponitur:* Appellasse hunc conatum *novitatem perpetui Ecclesiæ decoris déformatricem, inobedientiæ, temeritatis, audaciæ, seditionis, schismatis, aliorumque malorum productricem.* Neque verba hæc videri cuipiam debent justo graviora.

CAPUT IV.

DE IMPRESSIONE LIBRORUM.

Quoniam autem de libris jam agere cœpimus, hac occasione injungimus Scholasticis nostris, ut juxta præscriptum (1) Synodi Mechliniensis II, perquam diligenter observent, et observari curent gravissimum Sacrosancti Concilii Tridentini Decretum sess. 4. sancientis *ut nulli liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine Auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario*, aut ad id constitutis censoribus, *sub pœna anathematis et pecuniæ in Canone Concilii novissimi Laterranensis apposita..... Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant, iisdem pœnis subjaceant, et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint Auctores, pro Auctoribus habeantur.*

Hujus Decreti neglectum possumus jure merito

(1) 12 Ann. 1661.
(2) Tit 1. Cap. 5.

primam mali labem appellare, fontem dissidiorum omnium, novitatum atque errorum seminarium. Hinc ruinam grandem trahit Christiana Charitas, dum tenebriones quidam e suis latebris impune audent quidlibet, et virorum innocentium nomen infamibus convitiis ac calumniis proscindunt, dum libros suos tamquam totidem faces adhibent ad differendum et diffundendum quaquaversus incendium. Quod si supprimere et suffocare omnes non datur, quando sexcentis manibus sparguntur, Scholasticorum tamen vigilans industria faciet, ne id imposterum fiat tam libere, ac si nulla fuisset umquam lata lex, cum magno Ecclesiasticarum pœnarum, ac Tridentinæ Synodi contemptu. Nostrum erit flagitio dignum edere exemplum, si quis in Diœcesi nostra legis hujus post hac prævaricator deprehendatur.

CAPUT V.

DE CULTU B. VIRGINIS DEIPARÆ, ET ALIORUM SANCTORUM.

Pietatem in Virginem Dei Matrem omnibus volumus esse commendatissimam : cultum ejus Fideles inter nobis subjectos promoveri, atque in dies vestra industria auctiorem fieri: ejus imagines præsertim miraculis celebres frequentari, in publicis supplicationibus majorum more circumferri, accensis cereis illustrari, statis Laudibus, Litaniis, precibus honorari: erecta in ejus honorem Sodalitia, aut Confraternitates earumque privilegia et imnunitates Pontificum favore concessas extolli, populum ut iisdem nomen det invitari, si qui hactenus inscripti non sint : nova etiam,

ubi necdum erecta sunt , erigi ; ubi collapsa , instaurari. Hæc qui tangit , pupillam oculi nostri tangere se sciat , ne dicamus , qui admordet , qui convellit , qui exterminat. Pium hunc in Virginem affectum a Majoribus haustum , ne quidquam frendente circumcirca Hæresi conservatum auctumque , desideramus unice altius atque altius in animis Fidelium infigi. Eo nos stimulant Sanctissimorum Virorum et monita et exempla , quæ non opus est hic memorare. Quotquot enim ante actis ætatibus singulari sanctimoniæ laude floruisse accepimus , plurima singularis hujus in Virginem pietatis impressa per omnem vitam vestigia reliquere.

Neque quemquam moverit Hæreticorum , aut Mariani honoris obtrectatorum futilis scrupulus , quasi Filii Majestati quidquam decedat ex cultu Matris aut frequentia. Quantum Filio debeant, norunt pii fideles, norunt et quantum Matri , cui nihil debent nisi propter Filium. Filium inter atque Matrem quantum intersit , probe intelligunt. Si qui e plebe rusticana sint adeo rudes (constat certe vel paucissimos esse , vel nullos , si modo prima Religionis Christianæ elementa teneant) qui discrimen immensum haud videant , per vos instruantur. Matrem honorari propter Filium apud omnes in confesso est , et in Matre honorari Filium, Materni honoris læsi severum vindicem. Quorum pietas in Matrem languet , in Filium quoque sensim sine sensu languescere incipit , et tandem extingui , ut crebro nos Viri Sancti monent , et quorumdam funestus exitus demonstrat.

Quam sedulus fuerit in Mariano cultu promovendo

S. Carolus, quam multa sanxerit in ejus honorem, testantur tot (1) Concilia ejus ductu atque auspiciis Mediolani celebrata, in quibus fere nullum est, quod optimi Præsulis suavissimum atque ardentissimum in cœli Reginam amorem verbis non prodat, monumentisque consignet nulla oblivione delendis. Eodem affectu plena sunt sanctissimi Genevensium Antistitis scripta; plenæ quoque erant, ejus dum viveret actiones. Quodam loco gloriatur, se cum tota pene Civitate Confraternitati Rosarii nomen dedisse. De SS. Anselmo, Bernardo, Norberto, etc. nihil dico. Hos potius audiant, quam importunum quemdam monitorem, cujus fallax libellus, et in Virginem Matrem injuriosus, superioribus annis, diabolo semper aliquid machinante, et perniciosa suggerente consilia, cum gravi fidelium scandalo sparsus est, et mox Apostolicæ Sedis Auctoritate justissime damnatus. Hos audiant, hos emulentur, hos effingant, hos audiendos, hos æmulandos, hos effingendos institutioni ac curæ suæ commissis, tamquam optimos vitæ duces proponant.

Post Virginem in Sanctos quoque, eorum Reliquias atque Imagines priscam pietatem in se, et in suis alant, foveant, augeant, Deumque ac Jesum Christum Filium ejus in iis præcipue suspici moneant: si tamen hoc monendum est, nisi qui adsint primis fidei elementis imbuendi. Quanta per eorum patrocinium in nos deriventur beneficia, si religiose invocemus, si puriter colamus, sedulo exponant: seu pestis, seu fames, seu bella ingruant, quibus tanto jam tempore propter deficientem in nobis Christi spiritum, et quo-

(1) Vide 1, 3, 4, 6.

tidiana populi flagitia premimur , doceant Advocatos nobis non posse alios esse meliores apud Christum ad placandam Dei iram , justamque vindictam a cervicibus nostris arcendam : quippe qui vel Sanguinem suum pro ejus gloria fuderint , aut lento martyrio inter assidua virtutum omnium exercitia, vitam exhauserint. Ita crescet in Cœlites pietas , et suscitabitur in pluribus æmulandi ardor , et ardua pro Dei nomine et agendi et patiendi cupiditas exsurget.

Neque id a nobis adeo sollicite præscribi mirum videri debet. Urgent nos causæ minime leves. Quotquot enim hisce ultimis præsertim sæculis natæ sunt Hæreses , Virginis Matris , Sanctorumque cultum , venerationem Imaginum , ac Reliquiarum cœperunt primo oblique carpere , dein admordere apertius, postremo convellere , evertere, pessumdare , ac simul totam Ecclesiæ faciem innovare , deturpare, conspurcare , et totum Religionis jugum excutere. Nolumus quidem de Mariani cultus, aut invocationis Sanctorum obtrectatoribus , aut , si ita vultis , reformatoribus hodiernis tam male ominari. Hæc tamen omnia initia sunt dolorum.

CAPUT VI.

DE CATECHISMO.

Observari pariter religiose cupimus Decretum Synodi (1) Mechliniensis II cui similia sanxit S. Carolus in (2) Concilio Mediolanensi I videlicet ut Parochi singulis Dominicis et aliis Festis Diebus , singuli in

(1) Tit. 11. Cap. 6.
(2) Tit. 4.

suis Parochiis initia fidei rudioribus tradant ; ne in eos recidat lamentantis Prophetæ improperium : (1) *Parvuli petierunt panem , nec erat qui eis frangeret.* Si per se id ipsos facere graviores curæ non patiantur, aut secus consuetudo ferat nonnullis in locis , ubi delecti ex Religiosis Familiis Viri non sine laude et teneræ ætatis , ac rudium hominum in Doctrina Christiana progressu id munus exercent , ne ponant iis obicem ullum , sed coadjutores suos in vinea Domini excolenda humaniter atque officiose habeant : sin solatium istud aut non habuerint hactenus , aut obtinere non possint , idoneos sibi Viros substituant , qui teneras illas plantas solido doctrinæ Christianæ ac pietatis succo imbuant.

Catechismum autem non adhibeant alium, quam qui in Diœcesi nostra jam olim probatus est. Nihil hic novi invehant. Novos Cathechismos , novas docendi formulas, praxes novas suspectas habeant. Experientia docet plerumque male cedere res hujusmodi tentantibus , ut non ita pridem male cessit , famosa quædam Septem Puncta in hanc Diœcesim ad rudium instructionem invehere conatis. Roma vix intellexit, et opposuit se , tantumque Censura sua effecit , ut inconsulti conatus puduerit Auctores.

Diebus Dominicis aut Festis solemnioribus , quando de more verba faciunt pro corona ad majores natu , meminerint et observent quæ eodem loco S. Carolus monet (2) *ut oves sibi commissas salutaribus verbis pro earum sensu et intelligentia pascant. Ne tamen*

(1) Thren. 4.

(2) Part. 1. tit. 6.

ostentandæ doctrinæ et eloquentiæ causa difficiles atque inanes quæstiones, fucumque orationis et pigmenta conquirant, unde sui ipsius potius, quam Jesu Christi Prædicatores esse videantur: sed præcipue in Evangelii, Symboli, Orationis Dominicæ, Angelicæ Salutationis, decem Præceptorum, Sacramentorum Ecclesiæ, et Sacrorum rituum dilucida explicatione versentur.

Quid opus illic de inscrutabili divinæ Prædestinationis mysterio, de cœlestium auxiliorum efficacia, de utriusque cum libero arbitrio concordia, aliisque id genus, de quibus hactenus Ecclesia nihil certi statuit, subtiliter argutari, quæ multitudo vel non capiat', vel, si capiat, ad solidam pietatem morumque emendationem haud magnopere conducant, quando interim Christiani hominis officium pars multo maxima aut ignorat, aut non implet? Facessat e templis hæc Philosphandi libido, non veritatis, sed ingenii ostentatrix. Scholis illa serventur, in quibus tractantur non inutiliter, modo tractentur sobrie. Et suos enim Schola habet justos limites, quos qui prætereunt, manet præcipitium.

CAPUT VII.

DE MODERATIONE IN CONCIONE.

Dicteriis, Scommatis, Censuris abstineant, neque insulsis convitiis cathedram profanent, et in Aristophanis sive maledicentiæ theatrum infame commutent. Opiniones, quas Ecclesia tolerat hactenus, et doceri sinit, Censoria virga ne notent. Hæc quorumdam arrogantia multarum mater est turbarum atque sedi-

tionum. Christum denique non Magistros suos prædicent, ne cœcos interdum duces cœci ipsi sequantur. Certi sumus hanc licentiam in nullo umquam pati impunitam, sed Ecclesiasticæ severitatis vinculis pruritum intolerabilem frœnare. Habet ubi se Christiana eloquentia exerceat, licet in virulentas Satyras adversus Cleri Collegia, adversus Religiosas familias non prorumpat; licet odio, atque invidiæ et amaro zelo, quem S. Jacobus plurimum increpat, et ex Christianis cœtibus exterminatum it in Catholica sua Epistola, non velificetur. Neque hæ tantum apertæ rixæ nobis, et bonis omnibus displicent, sed obliqui quoque ictus morsusque figurati, et intortæ velut sub ancipiti verborum velo sicæ, quo sæviendi genere nonnulli videri se mire ingeniosos existimant.

In reprehendendis vitiis, monet S. Carolus ibid. *Ita se gerant, ut pietatis et charitatis studio eos adductos, non hominum, sed peccatorum odio id facere omnes intelligant.* Ne sic igitur regnantia publice vitia castigent, ut e corona quempiam, digito, ut aiunt, signent, ruboremque non illi solum et stomachum, sed concioni universæ moveant: quo quid potest esse durius, et a Christiana lenitate et prudentia alienius? Quanto rectius seorsim corripietur juxta Christi Servatoris regulam? Quanto majori cum spe emendationis et fructu, quisquis ita reus est, quum videbit sincere paterneque secum agi? At publica reprehensio et e cathedra, quæ speciem habet contumeliæ, exasperabit animum, a Concionibus et templo deterrebit quantumvis vitæ melioris cupidum, in desperationem aget præcipitabitque impatientem injuriæ.

Nec carnis vitia resque venereas sic incessant e cathedra, recensendo omnia enucleatius, et vivacius repræsentando, ut nullus honor sit auribus castis, et peccare potius doceant, quam a peccando deterreant. Materia tam lubrica et delicata delicate tractari amat, et pinguem Minervam osque insulsum odit maxime. Nequaquam convenit hic esse nimios, et experientia ipsa docet quosdam per ejus generis conciones factos esse deteriores, pronioresque in libidinem, alios adhuc integros purosque sceleris frequenti admonitione solicitatos ad flagitium. Ad promiscuam ætatis omnis, status, conditionis et sexus multitudinem jacere periculosum est, quod prodesse paucis queat, nocere pluribus.

Quidquid autem tractandum susceperint, graviter, attente, religiose tractent, memores personæ quam sustinent, et Verbi Divini, quod explanant. Materiæ dignitati totius corporis habitus, orisque Majestas respondeat. Nihil sit in gestibus leve, in voce molle, in dictione effœminatum, aut ad risum potius, quam ad pios animorum motus excitandos compositum. Neque sic affectent populares esse, aut rerum naturam exprimere, ut acceptis e trivio verbis mimum agere videantur, non Evangelii præconem : in quo non pauci se decipiunt, ac si punctum omne ferrent, sibique blandiuntur.

In Sacris denique Oratoribus locum minime habeat illud : *fungor vice cotis.* Non facile quempiam exacuet, nisi ipse acutus sit, neque cœlestibus flammis accendet auditorum pectora nive frigidior. Se priorem animet oportet, affectus eos in se concitet necesse est,

quos in aliis concitandos suscipit. Spes vero fructus omnis evanescit, si sua dicta factis destruat, et de virtute locutus magnificis verbis deprehendatur in flagitio, iisque obnoxius vitiis, quæ pro corona maxime exagitat. Via ad virtutem insinuandam animis compendiosissima est per exempla, quibus præcepta exprimantur. Hinc *cœpit Jesus facere et docere.* Via per præcepta exemplis destituta longa, anfractuosa, invia, sine exitu, et ut verbo absolvamus, labyrinthus.

CAPUT VIII.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ, PRÆLOQUIUM.

Nunc veniendum ad gravissimum Pastoris munus et periculi plenum, quod in fideli Sacramenti Pœnitentiæ administratione constitit. Id nos ante omnia solicitos habet, noctesque et dies excruciat. Adeo multis, adeo variis pulsamur quotidie quærelis, aliis nimium quorumdam rigorem et ferream duritiam culpantibus, et aliis immodicam laxitatem et ignavam conniventiam vocantibus in crimen. Nullibi tanta opus prudentia, tanta circumspectione, tanto judicio ac spiritus discretione, tanta bonorum Auctorum peritia, sententiarumque delectu, tot occurrentibus perplexis ambiguisque quæstionibus, ne suorum conscientias injustis vinculis gravent, aut justis sine causa expediant (1). Hinc Synodus Mechliniensis II. S. Carolo adstipulante in sua Instructione monet, ut *ob graves et diversos scrupulos, qui Pœnitentibus indies occurrunt, et plurimas difficultates sibi cohærentes habent, bonos et clas-*

(1) Tit. 5. c. 5. Cap. 1.

sicos auctores nonnullos, qui casus conscientiæ ex professo tractant, manibus continuo terant. Leges in negotio tanti momenti omnibus et singulis servandas præscribere arduum est, et tantum non impossibile : in quo unicuique sua probitas et maturitas, ac proximi amor, et in Christum fides debet esse pro legibus. Mentem tamen nostram super hoc aperire brevibus et dilucide haud gravabimur.

CAPUT IX.

DE LENITATE CONFESSARII.

Ante omnia Sacramenti hujus administri ob oculos propositum semper habeant Christi Domini Dei Servatorisque nostri exemplum, cujus in hoc munere vices obeunt : lenitatem ejus et benevolentiam, ac pronam in reos culpam suam agnoscentes voluntatem imitentur, cui vitio aliqando versum est a superbis malignisque hominibus, quod peccatores reciperet, cumque illis vesceretur. Fuerit licet cardiognostes, hoc est cordium scrutator, nihil illum ex intimis animi latebris, ac recessibus fefellerit, suis tamen hac in parte discipulis præivit, ne fastidirent quempiam, aut repellerent ad meliorem vitam aspirantem suorumque scelerum pertæsum. Cogitent avarum esse non debere dispensatorem, cujus Pater familias largus est.

CAPUT X.

DE PRAXI ECCLESIÆ MODERNA.

Ecclesiæ Matris suæ consuetudinem et praxim teneant longo sæculorum usu probatam, neque supra

suam se magistram erigant, aut ejus indulgentiam ausu temerario corripiant. Non suspirent semper antiqua sæcula, et primævum in Matre sua ætatis florem vigoremque reposcant, fastiditis rugis canisque despectis. Habuit Ecclesia olim, ut quod res est loquamur, ex quo corrigi possit hodierna disciplina, sed et jam habet, unde corrigi potuit antiqua, quemadmodum periti temporum et rerum norunt atque testantur. Non est filiorum in Matris annos inquirere, aut exprobrare senium, aut nova metamorphosi velle recoquere. Plus quam satis est adhuc ipsa vigoris habet, superis sit gratia, ut sibi suisque prospiciat, et si quid noxium accrevit, resecet, et ab Episcopis resecandum moneat.

Neminem fascinet speciosum Reformationis nomen, quod a Calvini temporibus merito odiosum esse cœpit atque suspectum. Non est privati hominis aut Doctoris Ecclesiam, et receptas toto orbe Catholico consuetudines reformare. Romanorum Pontificum atque Episcoporum id proprium est opus, quos torpere, aut in præsenti Ecclesiæ necessitate turpiter connivere promissus illis Sanctus Spiritus haud sinet. Ad rem tantam privata authoritate aggredi, quæ nulla est, viam est sternere, loquimur libere ut nos decet, ad schisma.

Ne igitur Pœnitentiæ opera promiscue ipsi peccatorum veniæ et condonationi præmitti postulent, aut exigant, si peccata sint occulta; neque hunc olim viguisse morem prolixe jactent, nullo satis certo testimonio. At viguerit mos iste, et veteres laudent per nos licet, modo utantur annis suis: si consultum id certis quibusdam casibus videbitur, neque sperentur alia remedia successura, aut effectum sortitura tam

bonum, considerato mature pœnitentis statu, non vetamus quo minus hac via infirmi saluti prospiciant; verum id non fiat per tempus nimis diurnum, neque annos integros auferat.

Nullis posthac excidant damnatæ voces et recenter ab Alexandro VIII. Pontifice proscriptæ gravissimo Decreto : « Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politica aut Institutio Ecclesiæ, » sed ipsa Christi lex et præscriptio, natura rei id » ipsum quodammodo dictante. Per illam praxim mox » absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus. Consuetudo » moderna quoad administrationem Pœnitentiæ etiam- » si eam plurimorum hominum sustentet authoritas, » et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilomi- » nus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu. »

CAPUT XI.

DE DILATIONE ABSOLUTIONIS.

Illis casibus veniam procrastinent (neque enim segnes ministros cupimus, aut molles medicos, sed qui pro tempore et loco, et morbi necessitate tam linere plagam unguento sciant, quam urere et secare) quos Rituale Romanum et Pastorale Mechliniense exhibet. Si qui rei nempe Sacrum tribunal accesserint, (1) *qui nulla dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possint, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, aut vitam in melius emendare*

(1) De Sacramento pœnit.

nolunt : aut , ut utamur verbis S. Caroli , (1) *nisi in posterum sese emendare promittant , nullo modo eos absolvant ; quod si in se recipiant ea se facturos , nec horum admoniti umquam a Confessario vel Pastore , præscripto modo fuerint , poterunt eos absolvere.* Rursus pergit idem Sanctus (2) : *Nec eos absolvant , qui cum peccatis mortalibus simul etiam eorum occasiones vitare plane non proponunt. Si pœnitens ,* inquit alio loco, (3) *recipiat in se media a Confessario præscripta, poterit absolvi,* rursus ait : (4) *Si probabiliter sibi Confessarius persuadeat posse se fidem primæ vel secundæ a pœnitente sibi promissioni factæ dare , quod scilicet occasionem auferet , poterit eum promissionis intuitu absolvere.* Paulo ante præmiserat : (5) *si tamen fuerint sæpius reprehensi , nec sese correxerint , tam diu absolutio differatur , donec promissa appareant , veræque emendationis argumenta aliquo temporis spatio ostenderint.*

S. Franciscus Salesius , quo nemo fuit regendis animis dexterior , quem longus usus et experientia docuit recte consulere , absolvendos negat injustos , *nisi se satisfacturos promittant :* conjugatos dissentientes , *quamdiu perseverant in ista mala voluntate ;* illegitime possidentes beneficia , *nisi se defectus correcturos promittant ;* rixosos , et qui rancorem aut inimicitias habent , *nisi velint ex parte sua condonare et inimicis reconciliari.* Extra hos , aliosque id genus

(1) Instruct. p. 2. c. 13.
(2) Cap. 15.
(3) Cap. 26.
(4) Cap. 17.
(5) Cap. 13.

casus , probare nullo modo possumus frequentes repulsas , aut ordinarias procrastinationes , quæ morbos non tam levent , quam exasperent ; quasque nonnulli nuper invehere cœperunt communi Ecclesiæ disciplina neglecta. Ad hæc remedia descendant semper inviti , atque ipsa necessitate compulsi , postquam mitiora omnia tentaverint. Sed neque tum reos ad suos pedes prostratos , quos sanandos aliter haud credunt , duriter increpent , aut amara insultatione dejiciant , sed amice compellatos suaviter inducant proposito ob oculos præsenti salutis æternæ discrimine , nisi pravæ consuetudinis vincula omnia quam primum disrumpant: frustra veniam a Sacerdote sperari , quamdiu animus pravis affectibus irretitus hæret: toties jam fidem sibi factam , violatam fuisse toties , ut rursus affirmanti credere non possit , nisi opera viderit : huc enitendum : quo quum evaserit , ambabus ulnis amplexandum , et reconciliationis fructu diutius haud frustrandum. Hæc atque alia , quæ Christiana prudentia dictare solet , remedii duritiem leniant.

Hunc in finem meminisse juverit quæ recordanda monet Genevensis Præsul : (1) *mementote* , inquiens , *a miseris pœnitentibus in ipso Confessionis exordio Patrum nomine compellari vos , et quod reipsa animum erga ipsos habere debeatis vere paternum , recipiendo ipsos summa cum caritate , sufferendo patienter eorum rusticitatem , ignorantiam, imbecillitatem, tarditatem, aliasque imperfectiones... tametsi Filius prodigus nudus plane , sordidus et fœtidus jam inde ab hara porcorum rediret , benignus tamen Pater eum amplectitur*

(1) Instruct. cap. 1.

amanter exosculatur, et super collum ejus ruens lacrymatur, eo quod esset ipsius Pater, et cor paternum teneriori affectu erga filios soleat commoveri.

Illud ipsum Patris nomen amabile licet atque blandum animare Confessarios debet ad constantiam et virile robur, et masculos affectus; muliebrem vero indulgentiam, aut metum excutere pectoribus: ne reprehendenda et castiganda in filiis, ut stultæ matres solent, negligant: ne respectu aliquo humano monere non ausint, quæ monenda sunt; atque ita dum in flagitio connivent, flagitium ipsi admittant.

CAPUT XII.

DE PRUDENTIA IN EXAMINE.

In examinandis pœnitentibus ne nimii sint atque curiosi: ne scrutatores rerum quas scire non oportet, interdum etiam est nefas. In complicum nomina non inquirant, ipsos pœnitentes de nomine nosse ne laborent: istiusmodi curiositas pœnitentes a tribunalibus arcet, aliaque innumera secum trahit incommoda. Nescio quid sinistri de Confessariis tam curiosis suspicantur. Hæc cautela maxime adhibenda est, quum de rebus obscœnis instituitur quæstio: quæ supra Concionatores monuimus, hic quoque attendenda sunt. Contingit enim persæpe, ut ab ipsis Confessariis omnes harum sordium angulos vestigantibus instructiores redeant ad nequitiam. Magna habenda hac in parte ratio personarum, ætatis atque sexus. Utendum verbis modestis ac verecundiam præ se ferentibus, et soli serviendum necessitati. Limites hic transire non ipsis

solum sæpe pœnitentibus , sed et Confessariis periculosum est , qui castitatis thesaurum et ipsi portant in vasis fictibus.

CAPUT XIII.

DE SATISFACTIONE.

In mulctis autem pœnitentibus imponendis servent traditam a Sacrosancto Concilio Tridentino (1) et a plerisque Ritualibus , et a Mechliniensi Synodo II diserte expressam Regulam , *ut quantum Spiritus et prudentia suggesserit pro qualitate criminum , et pœnitentium facultate , salutares et convenientes satisfactiones injungant , quæ non tantum sint ad novæ vitæ custodiam , et infirmitatis medicamentum , sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem.*

Audiendus hic quoque S. Carolus : (2) *Confessarius,* inquiens : *circumspectus esse debet , ne adeo leves et faciles sint satisfactiones , ut potestas clavium in contemptum veniat... neque nimis graves aut longæ jubeantur , ut vel recusent eas exequi , vel etiamsi acceptas habent , postea tamen plene non perficiant.... hac in parte integro judicio et personarum delectu utentur ; non enim omnibus omnia conveniunt. Quare non mandent pauperibus ut liberaliter tribuant Eleemosynas , neque iis, qui diuturnis sudoribus victum sibi suisque quæritant , jejunia prolixa.*

Audiendus quoque S. Franciscus Salesius : (3) *Con-*

(1) Sess. 14. Cap. 8.
(2) Instruct. c. 20.
(3) Ibid. c. 8.

fessarius, inquit ille, *pœnitentiam imponere debet verbis suavibus et consolatoriis, maxime ubi viderit pœnitentem bene compunctum, et semper eum interrogare debet, an non sit eam libenter executurus. Nam si videat facturum ægre, satius foret ei imponere aliam faciliorem, cum ordinarie multo melius sit pœnitentes amice et benigne (absque eo tamen quod peccatis eorum aduletur) quam aspere habere. Nihilominus pœnitenti Confessarius indicare non omittet ipsum pro gravitate peccatorum suorum longe graviorem mereri; ut id, quod sibi injungitur, majori cum humilitate et devotione exequatur.*

Salubria pariter sunt, quæ S. Carolus pœnitentibus præscribenda monet: (1) nempe *ut omnes nitantur bis saltem in die preces facere ad Dominum, mane videlicet quum surgunt, ac Vesperi dum cubitum concedunt. Deinde,* Confessarius *exhortabitur eos, ut singulis diebus Sacrum audiant, et diebus Dominicis divina Officia frequentent; particulatim vero modum eis præscribet orationes mentales faciendi sive viri, sive mulieres sint, modo tamen capaces sint. Rudioribus autem ostendet, quomodo Rosariam sive Corona B. Virginis, septem Psalmi Pœnitentiales, aut similes aliæ Orationes legi debeant.* Parochus *omnes suæ fidei concreditos eo inducet, ut examen conscientiæ quotidie faciant. Admoneat quoque eos de frequenti Confessione et Communione, et paulatim eos secundum S. Augustini consilium, in Sanctam eam consuetudinem adducat, ut diebus Dominicis communicent..... speciali cura eos admonebit Confessarius, ut dies Festos in honorem*

(1) Ibid. c. 22.

servitiumque divinum impendant : Quod ut commodius fiat, auctor eis erit , ut alicui Societati sese associent, quæ ex instituto proprio dies Festos in orationibus piisque operibus expendit.... iis , qui litteras norint suadebit ut libros aliquos pios et sancte scriptos emant, si modo facultas suppetat , quos et ipsi legant , ac faciant legi a tota familia circa Vesperam , præcipue Festis diebus : tales sunt Vitæ SS. Patrum, de Imitatione Christi , opera F. Ludivici de Grenada, etc.

Conspirat in eamdem sententiam Salesius : (1) *bonum* , inquiens , *erit hæc aut similia injungere pro Pœnitentia , veluti ut legat hunc vel istum librum, qui judicatur opportunus ad juvandum Pœnitentem : Confiteatur singulis mensibus per annum : curet se inscribi alicui Confraterniti , similesque actiones , quæ non solum ad præteritorum peccatorum punitionem deserviunt , sed et ad futura præcavenda. Et quantum ad consilia , quæ generatim Confessarium pœnitenti dare oportet , ecce tibi utilissima omni hominum generi , confiteri et communicare frequentissime, eligere bonum Confessarium ordinarium , frequentare conciones , legere libros pios, E. G. Opera Granadæ, fugere prava consortia , sequi bona , Deum frequenter orare , Vespertinum conscientiæ examen instituere , de Morte , Judicio , Cœlo , Inferno cogitare , freguenter osculari sanctas Imagines , puta Crucifixum , aliasque.*

(1) Instruct. cap. 8.

CAPUT XIV.

DE CONFESSIONIS FREQUENTIA.

Videtis ut gemini hi postremorum temporum soles, conspirantibus in eumdem scopum consiliis ad fovendam et amplificandam in Fidelium cordibus pietatem, ad extirpanda vitia, virtutesque inserendas, frequentem Confessionis et Eucharistiæ usum commendent? Frequens autem Confessio non ovibus tantum, verum etiam Pastoribus necessaria est, ne fiat sicut populus sic et Sacerdos. *Boni Sacerdotes*, monebat Cardinalis Bona, (1) *vel quotidie, vel alternis diebus, vel bis saltem in hebdomada animo vere contrito ad Confessionem solent accedere*, S. Carolus statuebat, (2) *ut quo puriores ad divinam rem faciendam accedant Sacerdotes, singulis hebdomadis peccata confiteantur, nisi eos ob mortalis peccati culpam frequentius facere oporteat.*

S. Franciscus Salesius animam piam alloquens: (3) *Ne permittas*, inquit, *umquam, o Philothea, ut cor tuum diu maneat infectum peccato, quum remedium tam præsens et facile ad manum habeas.... Confitere humiliter et devote singulis octiduis, et si fieri potest, toties quoties communicabis, etsi nullius peccati mortalis conscientia te remordeat. Etenim per Confessionem, quam institues non solum venialium, quæ confiteberis absolutionem, verum etiam ingens robur ad ea in*

(1) Lib. de Sac. Missæ c. 4. § 2.
(2) Concil. Mediol. I.
(3) Introd. ad vitam devot. p. 2. c. 19.

posterum cavenda , ingens ad discernenda lumen , et abundantem gratiam ad reparanda damna omnia , quæ tibi attulerant , consequeris.

Apage igitur hesternum novorum hominum commentum , quasi sanctissimi viri nudam peccatorum expositionem Sacerdoti præscripserint faciendam consilii aut petendi remedii causa , parum soliciti , utrum semper subsequeretur absolutio nec ne. Neque necessariæ Contritionis obtinendæ difficultatem nobis illi tantopere exaggerent. Salesium audiamus , cujus unius auctoritas nobis plurimorum instar est. *Quæris* , inquit ille , (1) *quomodo contritionis tuæ actum exiguo tempore elicere possis? Dico tibi vix opus esse tempore, ut rite eliciatur : quum tantum opus sit se coram Deo prosternere in Spiritu humilitatis et doloris , quod ipsum offenderis.* Nam ut ait S. Augustinus (1) *sive ad malum , sive ad bonum parvo momento animus commutatur.*

CAPUT XV.

DE SIGILLO.

Res ipsa postulat et populi sinistra quædam mussitantis suspicio , ut non nulla adjiciamus de sigillo , sive secreto Confessionis arctissime servando. Jam olim Concilium Lateranense de eo quædam unice necessaria decrevit, quæ S. dein Carolus suis statutis, (2) et 2. Mechliniensis Synodus (3) inseruit ; videlicet , ut *meminerit unusquisque Confessionis sigillum stric-*

(1) Lib. 2. contra Cresconium. Cap. 9.
(2) Instruct. p. 2. c. 20.
(3) Tit. 5. cap. 6.

tissime servandum esse , etiam sub pœna depositionis a Sacerdotali Officio , et detrusionis in arctum Monasterium adagendam ibidem perpetuam Pœnitentiam, etc. Ita ut nullo casu violare illud liceat respectu nullo. Et profecto si ullubi Theologos severos esse convenit, hic oportet ; et fuere hactenus severi. Quæ sat justa decerni queat adversus Sigillifragos pœna , haud videmus. Adeo multa consequuntur ex hoc uno crimine mala. Si qui in hoc genere Ecclesiæ disciplinam, quæ semper hactenus facta est rigidior relaxare machinentur, quod vix induci possumus ut suspicemur, habeant illos ut capitales Sacramenti hujus hostes et exterminatores. Quis enim posthac ausit aperire animi ulcera soli Deo perspecta , si de Sacerdotis silentio et taciturnitate haud securus est ? Si accersendum inde in caput suum grande malum non sine ratione formidat ?

Scientiæ etiam ex Confessione acquisitæ nullus sit extra Confessionem usus , nisi consulto pœnitente ac largiente potestatem , quæ nonnisi justis et necessariis de causis petenda est. Miramur hic nonnullos doctrinæ S. Caroli perpetuos admiratores præconesque assiduos, in ejus de hoc negotio sententiam non ire pedibus , sed effugia circumspicere , et pluribus incassum argutari , et nolle tam arctis vinculis constringi. Nos autem ut alibi , sic hic vestigia S. Caroli a vobis calcari volumus : ne temere veniam a pœnitente extorqueant ad gravandum invidia et vero crimine tertium.

Ne facile hic justas sibi causas fingant , cum Viro cætera probo impingendum crimen est, quod pœnitens probare non possit , unde uterque necessario maculandus sit infamia ; quod non potest non Sacramentum

Pœnitentiæ reddere odiosum , ipsumque Confessarium objicere populi suffragiis , ut reum vel imprudentiæ summæ , vel malignitatis.

Denique ab omnibus illis religiosissime abstineant , quæ Sacramentum istud tam necessarium nata sunt populo invisum facere : satis multa occurrunt in eo dura , satis multa ingenitæ homini vel verecundiæ , vel superbiæ contraria , ut Sacerdotes ipsi non debeant injustum onus adjicere. Quod si qui facere certum habent , magnopere pertimescendum est , ne multi tædio victi in mediis Oceani vitæ hujus fluctibus interire malint , quam tanto cum labore ad tabulam adnatare , a qua forte dejiciendi sint illius ipsius injuria , qui statutus ad hoc est divinitus , ut manum naufragantibus commodet , in portumque deducat.

CAPUT XVI.

DE POENITENTIIS MANIFESTIS.

Unum pene exciderat , quod ad mulctas reis imponendas spectat , et ad sigillum Confessionis arctius servandum facit , unde neque hic non erit dictum in loco , videlicet , quod Rituale Romanum et Pastorale Mechliniense monet : *Pro peccatis occultis quantumvis gravibus manifestam Pœnitentiam non imponant ;* ut enim quemadmodum egregie (1) Synodus Tridentina observat , *non satis consulte humana aliqua lege præciperetur , ut delicta præsertim secreta publica essent Confessione aperienda ;* ita prorsus foret inconsultum , ne quid dicamus gravius , adigere pœnitentes , ut se-

(1) Sess. 14. c. 5.

creta delicta, quantumlibet enormia, publica satisfactione expient. Quid enim est pœnitentis crimina revelare, ut loquimur, indirecte si hoc non est?

CAPUT XVII.

DECRETUM VETUS COLONIENSE CIRCA SUPERIORA.

Juvat hic inserere, quæ ab annis jam quadringentis Sifridus Coloniensis Antistes sapienter decrevit adversus excessus ejusmodi, celebrata, in hunc finem Synodo: ubi hæc habet inter alia, quæ longum foret describere: (1) *Diligenter in Confessione caveant Sacerdotes, ut si confitentes peccata aliquorum revelaverint, vel nomina eorum indicaverint, cum quibus peccaverunt, ea secrete teneant, sicut peccatum confitentis.*

Item sub pœna excommunicationis, omnibus Sacerdotibus inhibemus, ne a confitentibus nomina eorum cum quibus peccaverint inquirant, vel circumstantias, per quas possint nomina eorum sciri. Quod si fecerint, ab officio Confessionis audiendæ, et Sacrorum Mysteriorum, ipso facto se noverint esse suspensos: et in principio confessionis Sacerdotes districte inhibeant confitentibus, ne peccata aliorum confiteantur vel revelent et nomina eorum cum quibus peccaverint, exprimant, ut supra dictum est.

Item nullus Sacerdos in ira, odio vel etiam metu corporis confessionem confitentis audeat revelare verbo, vel signo, generaliter vel specialiter, dicendo: ego scio te talem, qualis es: et si revelaverit aliquo

(1) Ex editione Labbei tom. 11. p. 1. col. 1117.

modo, de hoc convictus debet absque omni misericordia degradari. Si tamen indigeat consilio, illud (ut dictum est) sine expressione personæ caute requirat.

Atque hisce sapientissime constitutis, prudentissimus Præsul gliscens tum malum feliciter sopivit atque oppressit. Quis sperasset malum simile nostro hoc tempore in Belgio Catholico revicturum ? Sane nisi bonorum hac de re quærelæ cessaverint (cessabunt autem ubi innovandi et perturbandi omnia in quibusdam prurigo cessaverit) ad similes reis pœnas infligendas adigat etiam invitus. Opto interim ut consiliis hisce nostris potius, quam censuris, atque pœnis deterriti, in viam Patrum redeant, et pestiferis novitatibus minimeque tolerandis valedicant, quotquot hac in parte defecisse non vana suspicio est.

CAPUT XVIII.

DE COMMUNIONIS FREQUENTIA.

Quod ad Cibi Eucharistici sumptionem spectat, de qua jam mentio nonnulla supra facta est, *Cibum illum,* ut docet Tridentina Synodus (1) *Salvator noster sumi voluit, tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus præservemur.* Ex quo patet quam inepti sint animarum Medici, qui propter quotidianas infirmitates lapsusque non graves ab hoc cœlesti pabulo mentes famelicas deterrent, neque verentur, ne cogantur aliquando ingemiscere, quod defectu hujus divinæ alimoniæ cor suum exaruerit. Longe aliter censuere Tridentini Patres, ut testatur

(1) Sess. 13. c. 2.

Catechismus Parochorum (1) Concilii Tridentini auctoritate editus, quorum omnium unanimis vox fuit *Quotidie peccas, quotidie sume.*

Longe aliter S. Carolus (2) præscribit statuens, *ut ad saluberrimum S. Eucharistiæ frequenter sumendæ usum Parochi et Concionatores quam sæpissime populum cohortentur, nascentis Ecclesiæ Institutis, atque exemplis, et gravissimorum Patrum vocibus, et uberrima hoc ipso de genere Catechismi Romani Doctrina et sententia, denique Tridentinæ Synodi, quæ optaret quidem Fideles in singulis Missis non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicare. Quod si quis Concionator etiam Regularis aliquid contra directe indirecteve dixerit, aut concionatus sit, Episcopus ei tamquam scandalum disseminanti interdicat prædicatione verbi Dei.* Cur hic non inclamant antiqua instituta ritusque priscos, qui nihil nobis quotidie occinunt, quam veteres pœnitentiæ Canones? Amor sincerus antiquitatis tam hoc exigebat, quam istud. Sed pergamus audire S. Carolum.

In eodem (3) Concilio decernit, quod ipsum et Instructionibus suis inseruit, ut Parochus eam consuetudinem concionando inducere studeat, ut populus, si minus Dominico quoque die, saltem semel in singulis mensibus confiteatur, et Sacram Communionem sumat; at in Quadragesima et in Adventu, ut singulis diebus Dominicis hoc faciat; id quod antiquæ Fidelium pietatis est.

(1) Par. 2. c. 4. n. 46.
(2) Concil. Mediol. 3. tit. 7.
(3) Concil. Mediol. 4. part. 2. tit. 4. et inst. part. 1. c. 16.

Rursus idem nobis Auctor est, ut populus rarius confiteri et communicare solitus, non solum ad sacram Synaxim conveniat diebus solemnioribus, Pentecostes, Assumptionis beatæ Virginis, omnium Sanctorum et Natalis Domini; sed dein diebus Indulgentiarum, postea *singulis mensibus*, demum *ad Communionem octiduanam* adducatur.

S. Franciscus Salesius tot locis (1) frequens hoc pietatis Christianæ exercitium inculcat, ut mens ejus a nemine ne quidem pervicaci vocari possit in dubium. Inter alia *asseveranter* pronunciat *ab iis qui volunt pie vivere in Christo, Sacram Communionem nullatenus posse differri ultra mensem.*

Ab his Sanctissimorum Virorum monitis non est quod cogant deflectere subtiles quorumdam hominum argutiæ, aut Rhetorici colores, quibus contraria omnia suadent, et ab hac saluberrima medicina revocant informos. Inculcant frequenter petitum illud ab humana amicitia exemplum, in qua quotidianus usus et familiaritas solet contemptum parere. Verentur scilicet ne fiat nobis vilior Deus, et jacturam aliquam dignitatis patiatur immensa Majestas, si toties ad mensam ejus accubuerimus convivæ. Mallent ut singulis tantum annis semel aut iterum, quod Barbaros aliquando Reges factitasse tuendæ Majestatis suæ gratia produnt Historiæ, multitudini se spectandum Deus ac fruendum daret. At arguti isti non vident, vel videre se dissimulant, in humana familiaritate contemptum nasci ex eo potissimum capite, quod quotidianus usus et conversatio, semper pene vitium aliquod aut defec-

(1) Introd. part. 2. c. 20.

tum detegat, ut solent homines amicos inter agere liberius, frænum perturbationibus et morbis permittere, quos alibi studiose celant. Date nobis amicum vitiis non obnoxium, sed omni instructum virtutum genere; ejus familiaritas nequaquam contemptum pariet, sed amorem indies magis ac magis accendet, virtusque alia ex alia detecta incitabit ad reverentiam. Divinus igitur ille Cibus vitii omnis expers, omni virtute atque efficacia præditus, quamquam frequenter sumptus gignere haud potest fastidium, haud potest vilescere, modo stomachus accesserit illius capax, hoc est letiferæ noxæ sordibus haud infectus, deque domandis in se vel extirpandis terrenis affectibus solicitus, quique placere divino hospiti pro conditionis humanæ infirmitate allaboret. Experietur is quo fuerit usus frequentior cœlestis alimoniæ, vires in se crescere ad expugnandas vitiosas inclinotiones, amorem in Deum augeri. Reverentiam Majestatis immensæ sumere incrementum : quod ipsum Viri Sanctissimi concordibus suffragiis testantur, atque ipsi, experientia magistra, didicerunt. Qui propter quotidianas infirmitates, levesque noxas, aut spiritus languorem, aut in precando ariditatem bonas animas ab Eucharistica mensa abducunt, non aliter faciunt, ac qui frigentem corpore ab igne prohibet, maculis ac pulvere sordidum repellit a fonte, febricitantis manibus poculum salutiferum extorquet.

Missis igitur Medicis tam imperitis, audiamus potius Innocentium XI felicis memoriæ Pontificem Romanum (1) saniora suadentem. Hujus consiliis Parochi

(1) Datum Romæ 12 februarii 1679.

et Confessarii stent. Juxta saluberrimum ejus decretum suos exhortentur, ut frequenter, quin etiam quotidie Mensæ Dominicæ assistant, modo diligens accedat et tanto hospiti excipiendo par apparatus, chorusque Christianarum virtutum.

Ne quispiam posthac, quod nonnullis in pagis et urbibus factum queruntur haud pauci, turbam promiscuam non gravibus de causis fraudet etiam Communione Paschali; in Pentecosten aut ultra procrastinet pro arbitrio suo, ac si esset Præcepti Ecclesiastici Dominus, nullo superiorum sæculorum exemplo. Sane periculosam hanc novitatem ex hac Diœcesi nostra eliminiatam volumus. Nulli Sacra tum Mensa arceantur, nisi quos noverimus esse indignos, atque ita vitiis inveteratos, ut nuntium iis remittere recusent, aut perquam verisimile sit numquam remissuros, quod in promiscua plebis Christianæ turba confidimus non habere locum.

CAPUT XIX.

DE INDULGENTIIS.

De Sacris Indulgentiis cum Majoribus suis et loquantur et sentiant. Magni eas ipsi faciant, et a suis faciendas doceant. Non exiguam in iis fiduciam a Christiano populo semper collatam, posthac quoque collocandam curent, et simul ad vitam rectius instituendam exhortentur, ut sacros thesauros non dumtaxat exhauriant alienis meritis comparatos, sed in eos quoque aliquid ipsi inferant, quod prodesse posteris queat.

Jam pietatem in mortuos nemo allatret, vellicet

nemo , sed concordibus studiis alant omnes , et foveant. Fructum qui ex antiqua hac in pios Manes misericordia jam a priscis temporibus usitata redundat in vivos, sæpe pro Concione commemorent. Quæ pœna immemores maneat post hanc vitam edoceant; ut similiter ipsi in Purgatorii flammis destituendi sint , qui nullos jam precibus suis , aut aliis recte factis sublevant. Ab hac Regia antiquitatis via ne quis desciscat , atque avia et devia cum periculo præcipitii consectetur.

CAPUT XX.

DE CONCORDIA CLERI ET REGULARIUM.

Postremo Religiosas Familias arcto cum Clero amicitiæ vinculo conjunctas cupimus. Quisquis hanc cum illis committere studet , tamquam sator discordiarum et certæ author ruinæ ex exercitu Domini , Christique castris pellendus est. Omnes eidem militiæ nomen dedimus , eandem omnes causam agimus , sub eodem Duce atque Imperatore Christo Jesu ; omnes oppugnare jubemur sub iisdem auspiciis tartareas potestates : et quisquam inter nos erit qui sacros commilitones ad intestina bella mutuamque internecionem concitet ? Qui invidiæ atque odii stimulis actus , imminentis hostis immemor , fraternam aciem delendam atque extirpandam poscat? Absit a nobis is furor.

Religiosi Clerum suscipiant atque habeant in honore, illius auctoritatem ne minuant, ne detrahant dignitati. Clerus vicissim Religiosos tamquam manum subsidiariam ad bellanda bella Domini divino consilio submissam ne despiciat , ne fastidiat , ne superbe conculcet ;

sed junctis, ut decet, dexteris atque animis, foveat, animet, amplectatur. Ne in mutuis subinde vitiis velut ungues in ulceribus hæreant, ne clam propalent, quodque omnium est pessimum, pro corona publicent, certi semper aliquid decedere populi erga statum Ecclesiasticum atque Ordinem Sacerdotalem reverentiæ ex hac mutuorum vitiorum commemoratione. Omnes sumus ejusdem corporis membra; quidquid uni detraxeris, in te quoque redundat. Constantinus Magnus Christianæ Religionis Vindex egregius, Sacerdotum flagitia detegi tam ferebat indigne, ut Regiam chlamidem injecturum se diceret, si quem deprehenderet in flagrantis delicto: et hac nostra ætate occultum Sacerdotis lapsum Sacerdos prodet et in ore populi dabit? Omnis Sacrorum atque Ordinis Majestas brevi pedibus conteretur, si multos corripiat hæc insania, si maledicendi libido grassetur ulterius. Per *Jesum Christum* obtestamur omnes et singulos, odia ista cessent in manifestam animarum perniciem gliscentia. Mutua privilegia aut immunitates Pontificum favore concessas (quandoquidem hic sæpe maximus est odiorum fomes) ne violent. Præscriptos officii limites certosque fines ne transgrediantur, sed inita stabili concordia et vinculis, si fieri posset, adamantinis firmata, agat unusquisque quod suum est.

De hac Clerum inter et Religiosos Ordines concordia solicitus semper fuit S. Carolus, solicitus fuit et S. Franciscus Salesius, apprime gnari, quantum hæc ad promovendam populi salutem conducat, quantum malorum consequatur ex discordia animisque mutuo odio inflammatis.

Auctores igitur Parochis sumus, ut Religiosos viros, qui statis diebus ad concionandum pagos excurrunt, hospitaliter excipiant, humaniterque ac benigne tractent, juxta S. Caroli Statutum, (1) qui Prædicatores ab illis, in quorum Ecclesiis prædicant, hospitio recipi vult, *suppeditatis omnibus rebus ad eorum victum necessariis, data etiam Eleemosyna aliqua ex fructibus Beneficiorum;* quando nempe id Parochi sors, ac conditio aut tempora permittunt, alibi præscribit, ut in congregatione Pastorum, (2) *Si ei Parochiæ prope erit aliquod Regularium Monasterium, ubi aliquis sit ad Sacrarum Litterarum Ecclesiarumque explicationem aptior, curent etiam illius opera atque studio adjuvari.*

Quodam loco decernit atque hortatur idem Sanctus, *ut superiores Regularium, temporibus* quibus ut plurimum populus ad Confessionis Sacramentum confluit, (3) *procurent quantum potuerint maximum numerum Confessariorum.*

CONCLUSIO.

Habetis quæ mihi visa sunt in Domino potissimum præscribenda hoc tempore, quæ si ea, qua decet, observantia omnes suscipiant, similique alacritate executioni mandent, nullus erit queremoniis locus, Ecclesiastica Disciplina sarta, tecta conservabitur, facile coibunt vulnera brevique ducent cicatrices: non pendebit animis Christiana plebs, neque studiis partium tamquam factionibus distrahetur: Schismatis

(1) Concil. Mediol. 1. tit. 5.
(2) Ibid. 3.
(3) Instruct. p. 2. c. 2.

imminentis periculum evanescet : vigebit pax et concordia, neque posthac heterodoxi nobis exprobrabunt, quod Majores nostri in Lutheranos et Calvinistas justissime olim intorquebant , nos tamquam Cadmæos Fratres mutuis digladiationibus et vulneribus concidere.

Deus pacis et consolationis sit cum omnibus Vobis, quæque sunt Ecclesiæ suæ hac misera tempestate salutaria , atque unice necessaria , Spiritum disciplinæ, Spiritum mansuetudinis , Spiritum obedientiæ erga præpositos vestros , Spiritum humilitatis et sinceræ devotionis , Spiritum veri amoris et charitatis in proximum inspiret cordibus vestris et cœlesti sua gratia augeat , atque in finem confirmet , ut quum venerit *Princeps Pastorum et Episcopus animarum vestrarum* Christus Jesus , *percipiatis immarcessibilem gloriæ Coronam,* quam omnibus et singulis precamur ex animo.

Mechliniæ in Palatio Nostro Archiepiscopali 12 Octobris 1692.

Humbertus Guilielmus
Archiepiscopus Mechliniensis.

DECRETUM

ILLUSTRISSIMORUM AC REV.

BELGII EPISCOPORUM

CIRCA ADMINISTRATIONEM SACRAMENTORUM.

Sanctissimus Dominus noster Innocentius Papa XII in suis ad Nos litteris Apostolicis Romæ die 24 Novembris ultimi datis ad eas, quas pro sana doctrina in Diœcesibus nostris regulanda die 19 Julii scripseramus, ea qua ergo Ecclesias omnes fertur pietate ac vigilantia dignatus est rescribere : *Quod attinet ad Libros Sacræ Scripturæ idiomate vulgari traductos, et alios prohibitos, patent Constitutiones Prædecessorum nostrorum, et potissimum felicis recordationis Pii IV, a quibus satis superque abusibus providetur, ut etiam confugia ad Laïca Tribunalia a similibus Constitutionibus inhibentur, quarum Episcopi in suis Diœcesibus Executores esse debent. Quod pertinet ad pendentes controversias circa administrationem Sacramentorum, donec aliquid specialius decernatur, ab iisdem Episcopis advigilandum est, ut juxta Sanctiones Canonicas, statuta Conciliorum, et praxim Ecclesiæ administrentur, habita casuum atque eorum circumstantiarum ratione. Etenim in præsens magna sollicitudine discussioni Propositionum, quæ inter alias abunde delatas ad hoc argumentum spectant, allaboratur.*

Nos igitur in partem sollicitudinis vocati, ejusdem Sanctissimi Domini nostri jussa exequentes, Constitutiones Apostolicas supradictas pro insertis habentes, earumdem observantiam omnibus ac singulis serio inculcamus, in prævaricatores pro debito nostro pastorali sedulo animadversuri.

Speciatim vero renovamus Decreta nostra circa lectionem Scripturæ Sacræ idiomate vulgari traductæ, et Libros prohibitos antehac edita, et nunc hoc Brevi Apostolico de novo roborata.

Quod autem pertinet ad Controversias circa administrationem Sacramentorum, donec aliquid a Sede Apostolica specialius seu amplius decretum fuerit, juxta relatum ejusdem Sanctissimi Domini nostri Mandatum advigilantes unanimiter constituimus, præcipimus, et mandamus, ut Directores animarum Nobis respective subjecti, nec declinantes ad dexteram noxii rigoris, neque ad sinistram perversæ laxitatis, hæreant in sano tuto medio, quod semper reperturi sunt, considerantes Ecclesiæ praxim, quæ nusquam a Sacris Canonibus discrepat, et semper fuit eritque piis, ac probis Directoribus patula, ac visibilis.

Quare ante omnia caveant eam praxim tenere, quæ in paucis dumtaxat locis a nonnullis contra universalis Ecclesiæ praxim inducitur, memores, quod dum olim agebatur contra Donatistas, suam rebaptizandi praxim contra totius Ecclesiæ usum in paucis orbis angulis erigentes, S. P. Augustino teste, *Consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, et hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem; quia non poterant apprehendere veritatem.* Legitimam vero Ecclesiæ praxim

a Christo Domino , Doctore et Præceptore nostro in via media inter dexteram quamdam , et sinistram institutam esse prædicti animarum Directores ex variis Scripturæ locis discent ; v. g. ex Isaïa Propheta cap. 30 qui pronuntians eum , *Exspectat* , inquit, *Dominus, ut miscreatur vestri , et ideo exaltabitur parcens vobis,* et post pauca *: Non faciet avolare a te ultra Doctorem tuum , et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum , et aures tuæ audient verbum post tergum monentis : hæc est via , ambulate in ea , et non declinetis neque ad dexteram , neque ad sinistram.*

Ne etenim declinet quisquam ad sinistram perversæ laxitatis , retinetur ejusdem Christi Domini sententia apud Evangelistam Matthæum c. 7. v. 14 : *Quam angusta porta , et arcta via est , quæ ducit ad vitam , et pauci sunt qui inveniunt eam !*

Et ne vel ex hac ipsa sententia quis in dexteram noxii rigoris deflectens , homines in desperationis barathrum præcipitet , idem Dominus apud eumdem Evangelistam c. 11. dixit : *Venite ad me omnes , qui laboratis , et onerati estis, et ego reficiam vos ,* Et infra: *Jugum enim meum suave est , et onus meum leve.*

Proinde sibi ob oculos ponant Sanctiones Apostolicas , Decreta et Canones Conciliorum , ac signanter Tridentini , Rituale Romanum , et Instructiones , quas Confessariis , et Concionatoribus præscribere solemus. Contra perniciosas laxitates instructi sint Decretis Alexandri VII contra 45 Propositiones , et Innocentii Papæ XI prohibentis , et damnantis 65 alias Propositiones , quas omnes , et singulas Nos quoque damnamus , et ab omnibus pro damnatis habere volumus ;

uti etiam Propositiones 31 pro majori sua parte nimium rigorem continentes, ab Alexandro VII felicis recordationis damnatas, aliasque duas in periculosam laxitatem tendentes, ab eodem Pontifice præscriptas: Non discernendo authoritatem Pontificis unius ab authoritate alterius, sed omnes affectu pari, et æquali reverentia, ac obedientia, tam in iis, quæ contra perversam laxitatem, quam quæ contra nimios, noxiosque rigores diversis temporibus definiverunt, prosequentes et venerantes.

Et quidem ad magis specialia descendendo, circa Sacramentum Pœnitentiæ, hortamur omnes Confessarios, et Directores animarum, ut contra noxiam laxitatem jugiter ob oculos habeant supradictum *Innocentii XI* Decretum, in quo condemnantur Propositiones sequentes: 60ª *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, et si emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem.* Item 61ª *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere, quinimmo directe, et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* Et ne rursus alii ex hoc laxitatis antidoto (id est, ex condemnatione harum de Consuetudinariis, quorum nulla emendationis spes apparet, et item de eo, qui occasionem proximam, quam potest, et non vult omittere, et ex proposito quærit, etc.) ansam sumat vexandi quosvis Pœnitentes per nimios rigores, observent ex Rituali Romano: *Rarius autem, vel serius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, uti-*

lissimum fuerit consulere, ut sæpe, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus confiteantur, et si expediat, communicent.

Pariformiter in injunctione pœnitentiarum contra perversam laxitatem a Tridentino Concilio moniti caveant, ne si forte Sacerdotes peccatis conniveant, et indulgentius cum Pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

Et ne rursus hinc assurgent ad nimios rigores, observent illud Ritualis Romani; *Pro peccatis occultis quantumvis gravibus manifestam pœnitentiam non imponant;* quam, ad præcavendos abusus, præclarorum in Ecclesia Antistitum exemplo, ne quidem pro peccatis publicis absque nostra speciali facultate imponi volumus. Deinde ut solidius hæreant in medio, sæpius considerent, quod in eodem Rituali dicitur: *Meminerit confessarius se judicis pariter, et medici personam sustinere, ac divinæ justitiæ simul, et misericordiæ ministrum a Deo constitutum esse, ut tamquam arbiter inter Deum et hominem honori divino, et animarum saluti consulat.* Quo temperamento instructi, neque erunt rigidi in minimis, neque laxi in summis, sed æqui in omnibus, alieni a Scribis et Pharisæis, qui decimabant mentham, et anethum, et cyminum, et relinquebant, quæ graviora sunt legis, *Judicium, et misericordiam, et fidem. Hæc oportuit facere, et illa non omittere.*

Denique ut populus majorem in frequentem et celerem hujus Sacramenti usum concipiat fiduciam, eumdem instruant, quod per Decretum *Alexandri VIII*

inter Propositiones 31 condemnata fuerit hæc 17 : *Per istam praxim mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus.*

Ut autem provideatur ulterioribus abusibus, qui circa hujus Sacramenti administrationem committi possent, præscribimus articulos sequentes ex prædictis Instructionibus, et SS. Patribus, Sacris Canonibus, et antiquis modernisque Theologis excerptos, Ecclesiæ praxi conformes.

1. Confessarii parce, caste, et valde caute interrogent circa peccata carnis, non solum quando virgines habent confitentes, sed etiam quando conjugatos, aut quoscumque cœlibes, neque illos doceant peccata quæ non norunt, sed tantummodo inquirant ea, quæ verosimiliter commiserunt : quum ad impedienda mala, quæ ab iis committi possunt, plerumque sufficiat instructio generalis.

2. Complicum nomina Confessarius non inquirat, ne quidem sub prætextu, quod velit, aut possit eis prodesse, non obesse. Multo minus confessione pœnitentis abutatur ad instituendam complicis denuntiationem, vel accusationem : neque hoc committat, ut ad complicis superiores scribantur litteræ anonymæ, multo minus a se subscriptæ; neque denique faciat quidquam unde vel pœnitens, vel complex aliquod gravamen accipiat : quum ipsum peccatum, et nomen complicis, si per animadvertentiam pœnitens expresserit, cadat sub sigillo una cum peccato pœnitentis. Qui articulus ut exactius observetur, adoptamus Canonem Concilii Coloniensis anno 1280 celebrati : *Sub pœna excommunicationis Sacerdotibus inhibemus, ne a confiten-*

tibus nomina eorum , cum quibus peccaverint , inquirant , vel circumstantias per quas possint nomina eorum sciri : Quod si fecerint , ab officio Confessionis audiendæ , et sacrorum Ministeriorum ipso facto se noverint esse suspensos : et in principio Confessionis Sacerdotes districte inhibeant confitentibus , ne peccata aliorum confitcantur , vel revelent , et nomina eorum cum quibus peccaverint , exprimant. Nec præsumat aliquis tam salubria Statuta contemnere, vel negligere, sub prætextu , quod ubi lex naturæ , et divina concurrunt cum humanis , hæ cedere debeant : nam supradicta omnia jus divinum exequuntur.

3. Non utatur Confessarius scientia ex Confessione habita , ne quidem dum ex non usu sequeretur incommodum longe gravius gravamine Pœnitentis.

4. Confessarius ad absolutionem non necessario prærequirat dispositionem per se justificantem, neque a quibusvis peccatoribus gravibus , etiam recidivis , stata lege exigat , ut per notabile tempus prævie exercuerint opera pœnitentiæ. Sed cum SS. Patribus expendant Deum in conversione peccatoris non tam considerare mensuram temporis , quam doloris.

5. Circa administrationem Matrimonii similiter viam ineant mediam , et discretam ; ex una parte considerantes illud habere rationem Sacramenti : proindeque conentur suscipientes , quantum , Domino juvante , poterunt , ad illius gratiam suscipiendam disponere , nec (sepositis extraordinariis , nobisque inconsultis) , officium suum impendant , ubi saltem alterutra pars nosceretur ad hanc gratiam indisposita. Ex alia vero parte attendant , idem habere rationem contractus ,

respicere bonum commune , prolis , et familiarum , ideoque præterquam quod ex notitia Confessionis Sacramentalis nullo modo hic extra tribunal conscientiæ procedere liceat , ne quidem facile hoc Sacramentum differatur notabilibus cum incommodis , prætextu præmittendi pœnitentiæ opera , vel reparandi scandali , aut tollendi occasionem proximam , quando ipsummet scandalum per subsequens Matrimonium reparatur , et occasio proxima per idem tollitur. Et sicuti Parochi matrimoniis peccatorum illorum publicorum, de quibus agit Pastorale , non possunt assistere , nisi per Nos , aut Officiales nostros declaratum fuerit tales satisfecisse; ita contra , dum existimabunt se tales peccatores publicos habere, qui desiderant Matrimonium contrahere, non poterunt propria authoritate iis differre , sed debebunt ad Nos , vel Officiales nostros quantocyus recurrere , et judicium nostrum desuper audire.

Quæ omnia , ut exactius observentur , et ut prævaricatores , si qui fuerint , facilius detegantur , omnibus Confessariis , et Concionatoribus præcipimus : ut populum instruant , quod quilibet Nobis , aut Officialibus nostris tenebitur denuntiare quoscumque Confessarios , vel Directores animarum , a quibus quovis modo inducti , aut sollicitati fuerint ad hæresim , sive discendas , aut practicandas Propositiones a Sede Apostolica condemnatas , et præsertim qui ab iisdem Directoribus acceperint libros a dicta Sede Apostolica, vel Ordinariis proscriptos , sive demum qui eos a præsentis nostri Decreti observatione abducere , vel alienare ausi fuerint.

Hæc autem omnia scripsimus Vobis , *ut non peccetis :*

sed et si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Joan. Epist. 1. cap. 2.

Datum Bruxellis in Congregatione nostra die 23 Aprilis 1697. — *H. G.* Archiepiscopus Mechliniensis. — *Fr. Reginaldus*, Episcopus Ruræmundensis. — *Ferdinandus*, Episcopus Antverpiensis. — *Guilielmus*, Episcopus Brugensis. — *P. E.* Episcopus-Gandavensis, — *M. Steyaert*, Vicarius Generalis Apostolicus Sylvæducensis. — Inferius habebatur : *Joannes Ottaert*, Secret.

ACTA ET DECRETA

AB

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

ENGELBERTO,

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI STERCKX,

ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSI,

in Congregatione admodum RR. DD. Archipresbyterorum

ARCHIDIOECESIS MECHLINIENSIS,

HABITA DIE VIII MENSIS MAII MDCCCXLIX IN PALATIO ARCHIEPISCOPALI.

Invocato divino lumine, Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Archiepiscopus proposuit, explicavit et, habita ratione nonnullarum observationum quæ a Decanis factæ sunt, decrevit sequentia :

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Ut Sacramentum Pœnitentiæ a sacerdotibus rite administretur et a fidelibus digne suscipiatur, enixe commendamus ac etiam præcipimus ut omnes diœcesis nostræ confessarii sequentes regulas ex sacris canonibus, Synodis diœcesis nostræ, decretis prædecessorum nostrorum ac sanctorum etiam Antistitum, præsertim

S. Caroli Borromæi et S. Francisci Salesii instructionibus depromptas, accurate observent.

I.

Quum catechismus Concilii Tridentini merito advertat parochos in explicatione eorum quæ ad hoc Sacramentum pertinent, *numquam adeo diligentes futuros esse, ut satisvideri possit*, hinc ipsos eorumque vicarios ac omnes concionatores et catechistas, quanta maxima possumus contentione, in Domino oramus et obsecramus, ut tam salutiferi Sacramenti naturam, necessitatem et utilitatem summa cura fidelibus explicent, eosque excitent ad illud rite, fructuose et frequenter suscipiendum.

II.

Qui difficile ac tremendum confessarii munus exercent, assidue recogitent quæ vitæ innocentia, quæ morum integritas, quæ scientia atque prudentia requiratur, ut istud rite et fructuose obire possint; adeoque omnem operam diligentiamque impendere non desinant, ut cunctas virtutes bono confessario necessarias acquirant; præterea quotidie a Deo postulent sedium cœlestium assistricem Sapientiam, ut semper cum eis sit et cum eis laboret. Insuper constanti studio proficere conentur in scientiis quæ doctori, judici ac medico animarum necessariæ sunt, neque unquam existiment se in illis satis perfectos esse. Itaque probatissimos quosque libros indefesso zelo percurrant. In quæstionibus autem moralibus quæ controvertuntur, illis adhæreant theologis qui *via*

media inter rigorem et laxitatem incedere norunt, uti commendat Benedictus XIV de Synodo lib. XII cap. 6., et prout ipse etiam Archiepiscopus et Episcopi Belgii præscripserunt in decreto 23 Aprilis 1697 his verbis : *nec declinantes ad dextram nimii rigoris, neque ad sinistram perversæ laxitatis, hæreant in sano tuto medio*. Synod. Belg. tom. 1. pag. 619.

Si in confessionali occurrat casus solutu difficilior, pœnitenti suadeant ut responsum accepturus redeat, atque interim consilium a sapiente perquirant et auctores consulant qui, ut ait idem Summus Pontifex, *magis inter cœteros prædicantur; deinde eas partes suscipiant quas tum ratione tum auctoritate plane confirmatas intelligent.* Constit. *Vix pervenit.*

III.

Ut omnes quotquot sunt confessarii diœcesis nostræ in sano tuto medio semper consistant, atque in unitate spiritus, in sententiarum consensione et praxis uniformitate salutem fidelium efficacissime promoveant, Conciliorum, Summorum Pontificum et prædecessorum nostrorum decreta ac regulas in Pastorali Mechliniensi præscriptas semper præ oculis habeant. Insuper pervolvant monita quæ a sanctis Episcopis, speciatim a S. Carolo Borromæo, a S. Francisco Salesio, a S. Alphonso Ligorio ad usum confessariorum diœcesium sibi commissarum edita fuerunt. Exemplum etiam sumant a sanctis sacerdotibus qui in excipiendis confessionibus specialem zelum et prudentiam exhibuisse noscuntur, ut a S. Francisco Xaverio aliisque. Non enim dubitandum est quin monita et praxim Sanctorum

superiorumque mandata sequentes hoc munere rite fungantur, et dispensationis sibi creditæ bonam rationem Supremo Judici reddere valeant.

IV.

Quum Sacramentum Pœnitentiæ sine Episcopi approbatione administrari nequeat, qui eam pro certo tantum tempore, certis hominibus, certisque peccatis remittendis concedere potest, idcirco confessarii diligenter videant quæ facultas ipsis concessa fuerit, neque omnino ultra illius fines progrediantur. Priusquam munus suum exerceant, consensum exquirant rectoris ecclesiæ in qua confessiones audituri sunt. Præterea intra quindenam approbationis nostræ litteras Decano loci habitationis suæ exhibeant, utpote qui omnibus sine exceptione confessariis districtus sui nostro nomine et auctoritate invigilare, et si, quod absit, officio deessent, paterna monita dare, ac rem etiam, si opus foret, ad Nos deferre tenetur.

V.

Caveant confessarii ne verbis aut signis ostendant se ægre munus suum obire. E contra promptos facilesque se semper exhibeant ad officium adeo meritorium exercendum. Erga pauperes et eos qui raro confitentur sese præcipue obsequiosos ostendant.

Pastores eorumque vicarii advertant se ad audiendas confessiones parochianorum teneri, non solum quando hi præcepto confitendi urgentur, sed quoties rationabiliter petunt. Ipsis specialiter injungimus ut diebus dominicis et festis summo mane ad confessionale se

conferant, etiamsi nullus adsit pœnitens. In majoribus parochiis etiam diebus sabbathi et pridie festorum mane et post meridiem se paratos exhibeant; durante vero quindena paschali ecclesiæ ibidem summo mane aperiantur, nec vesperi claudantur ante horam octavam. Porro enixe commendamus omnibus confessariis, ut tunc præsertim in confessionali assidui sint, nec unquam sine necessitate discedant quamdiu pœnitentes adfuerint.

VI.

Ad ægrotantium confessiones excipiendas vocati, omni zelo et charitate pium ministerium adimplere studeant. Si ægroto alia Sacramenta administranda sint, auditæ confessionis testimonium scripto relinquendum est, nisi confessarius parochum aliter certiorem reddere potuerit.

Quæ de puerorum confessione in Congregatione anni 1843 statuta sunt, ab omnibus accurate servari iterum præcipimus.

VII.

Parochi curam habeant ut semi-amentes de mysteriis Fidei, quantum fieri potest, instruantur et interdum ad confessionem veniant. Idem esto de surdis et mutis, quos etiam in scholis ad hoc destinatis collocari satagant.

VIII.

Commendamus ut ubique accurate observentur sequentes præscriptiones Pastoralis et Synodi provincialis Mechliniensis: *Sacerdos in ecclesia, non autem*

in privatis ædibus, confessiones audiat, nisi ex rationabili causa; quæ si inciderit, studeat decenti et patenti loco præstare.

Habeat in ecclesia sedem confessionalem patenti et conspicuo loco positam, crate perforata inter pœnitentem et sacerdotem instructam, cui si tenebræ sint, lumen apponatur.

Nemo extra ejusmodi confessionalia fœminarum confessiones audire præsumat, nisi in casu necessitatis.

Sacerdotes sæculares nonnisi superpelliceo induti in locis sacris sæcularium confessiones accipiant; pastores vero et vicepastores etiam stolam superaddant. Regulares vero meminerint fas sibi non esse confessiones audire, nisi stola supra vestem sui ordinis adhibita.

Porro confessiones fœminarum ab anteriori parte confessionalis audire, sub pœna suspensionis prohibitum est per decretum Emin. D. Cardinalis Thomæ Philippi de Alsatia, Archiepiscopi Mechliniensis, quod ad totam diœcesim nostram extendimus.

IX.

Sciat confessarius *condolere iis qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate* (Hebr. 5); adeoque induens se viscera misericordiæ Dei et patientiam Christi quoscumque pœnitentes, etiam gravibus peccatis obnoxios, amanter excipiat, patienter audiat et libenter adjuvet ut omnia peccata confiteantur. *Memineritis*, inquit S. Franciscus Salesius ad confessarios, *ipsos pœnitentes quum primum*,

confiteri incipiunt, vos patres nominare, ac proinde paternum erga eos animum et affectum vos habere debere, summo cum amore eos excipiendo, eorum stupiditatem, ignorantiam, imbecillitatem, tergiversationem et alias imperfectiones patienter et æquo animo supportando, et nunquam ab ipsis juvandis instruendisque præ defatigatione cessando.

X.

Dum pœnitentes peccata sua integre non confitentur, omnino necessarium est ut confessarius peccatorum numerum, speciem et circumstantias explicatu necessarias inquirat. Caute tamen et parce id faciat, ne pœnitentes scandalizentur, maxime ubi de peccatis carnis agitur. Quod si pœnitens socium peccati habuerit, hujus nomen exquirere numquam licet. Neque omittat omnes, præsertim vero rudiores, adjuvare ut eliceant sincerum dolorem quod Deum offenderint et serium propositum a peccatis deinceps abstinendi.

XI.

In hoc sacro tribunali de illis unice agendum est quæ ad salutem animarum pertinent; nec adeo licet de terrenis rebus sermones habere. Si igitur pœnitens de negotiis mere temporalibus consilium petat, ad alium locum remittatur, atque etiam, si fieri possit, inducatur ut alium potius consulat; experientia enim constat rem esse periculi plenam, quod confessarius temporalibus negotiis pœnitentium se immisceat. Id vero præsertim erga fœminas observandum est, a quarum consortio confessarii peculiariter abstinere debent eo ipso quo eas in confessione audiunt.

XII.

Sanctissimis Patribus nostris visum est, prout advertit Concilium Tridentinum, *magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere, ut atrociora quædam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur.* Quare prædecessores nostri nonnulla ejusmodi crimina sibi et confessariis speciali facultate instructis reservarunt, Nosque his verbis reservamus.

1. Apostasia a fide.

2. Sodomia major et bestialitas.

3. Violenta mulieris oppressio, consummata copula.

4. Homicidium directe voluntarium, ejusque mandatum effectu secuto.

5. Incendium deliberata voluntate procuratum.

6. Incestus cum persona consanguinea aut affine in omni gradu lineæ rectæ, et in primo et secundo gradu lineæ transversæ.

7. Percussio gravis patris aut matris, avi aut aviæ.

8. Adulterium notorium.

9. Hæresis.

10. Abortus directe voluntarius sive fœtus sit animatus sive non, item ejusdem criminis attentatio, omnisque positiva coöperatio, etiamsi nullus effectus sequatur.

Item omnia delicta, quæ excommunicationem Ordinario reservatam annexam habent.

Porro reservatio ista sub his limitationibus intelligenda est :

1° Ut non incurratur reservatio nisi peccatum sit mortale interne simul et externe, et in sua specie

consummatum ; nec ubi adest dubium facti vel juris , neque etiam si peccatum sit ab impubere commissum.

2° Ut valeat absolutio etiam pro reservatis , dum pœnitens bona fide omittit confiteri peccata reservata , sive confiteatur habenti sive non habenti facultatem a reservatis absolvendi. Si dein pœnitens errorem suum cognoscat , tenebitur peccata reservata postea confiteri confessario habenti facultatem.

3° Ut valeat absolutio etiam pro reservatis , dum pœnitens bona fide confitetur reservata confessario non habenti facultatem ab iis absolvendi.

4° Ut quilibet confessarius in hac diœcesi approbatus valide absolvat a reservatis dum excipit confessionem in ordine ad Matrimonium , item dum excipit confessionem infirmi in ordine ad susceptionem Sacri Viatici , Extremæ Unctionis , communionis paschalis , aut etiam ex devotione.

5° Ut quilibet confessarius in hac diœcesi approbatus, ubi deest copia habentis facultatem pro reservatis, valide absolvat Sacerdotem qui, (quod Deus avertat) casus reservati reatum incurrit , si debeat celebrare , ne populus careat missa die obligationis , vel si missæ celebrationem omittere non possit sine notabili damno famæ , sinistris suspicionibus , aut gravi obloquio ; item si teneatur administrare aliquod sacramentum necessitatis.

6° Ut prædicta § 2 , 3 , 4 et 5 intelligantur etiam de casibus pontificiis a quibus Rev. Dominus Archiepiscopus absolvendi facultatem habet.

7° Ut quiscumque confessarius , qui in hac diœcesi obtinet facultatem absolvendi a reservatis, nulla addita

restrictione, censeatur etiam habere facultatem pro casibus hæresis et abortus olim exceptis, nisi esset censura incursa, quo casu speciali facultate opus est.

Advertendum est insuper, quod nullus confessarius extra mortis periculum, licet alias habeat potestatem absolvendi a reservatis, absolvere possit aut valeat a peccato quolibet mortali externo contra castitatem complicem in eodem secum peccato, nec ad hoc sit approbatus.

XIII.

Meminerit confessarius se in sacro tribunali non hominis exercere judicium sed Domini, et quodcumque judicaverit, in se redundare (2 Paral. 19). Igitur diligenter videat an pœnitentes veram habeant contritionem, atque eos etiam excitet ut ex vero Dei amore de peccatis doleant. Meminerit pœnitenti bene disposito, etsi gravissimis peccatis obnoxio, absolutionem negari non posse, et e contra ex præscripto Ritualis Romani et Pastoralis Mechliniensis, absolvi non posse *qui nulla dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut aliena si possint restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata relinquere et vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant et scandalum tollant.* His annumerandi sunt qui ignorant scitu necessaria necessitate medii; qui societatibus a Sede Apostolica prohibitis nomen dederunt neque illis renuntiare volunt; qui libros Fidei vel moribus contrarios edunt, vendunt vel aliter distribuunt. Hi igitur aliique his similes om-

nino probandi sunt, neque ipsis concedenda est absolutio nisi prudens formari possit judicium de sufficienti eorum præparatione ad gratiam Sacramenti recipiendam.

Si confessarius absolutionem concedere non possit, istud benignis verbis pœnitenti significet, eumque toto pectore ad emendationem vitæ excitet, de mediis adhibendis instruat, et intra breve tempus redire jubeat.

XIV.

Circa pœnitentias imponendas confessarii speciatim præ oculis habeant quæ monet Concilium Tridentinum, scilicet: 1° curent ut, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungant. 2° Caveant diligenter ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. 3° Sic agant ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem. Præterea attendant ad monitum S. Francisci Salesii dicentis: *Confessarius lenibus, placidis et consolatoriis verbis pœnitentias imponat oportet, tum maxime quum contritum et de commissis extreme dolentem conspicit; semper quoque interroget num eam libenter sit executurus; etenim si illum ab ea aversum et idcirco nonnihil turbatum videat, satius longe foret aliam faciliorem ei imponere.*

XV.

A confessario non solum labes, sed omnis etiam suspicio avaritiæ longe abesse debet. Quapropter *pecunias, vel aliquid hujusmodi*, ut monet S. Carolus Borromæus, *pro confessionum audientia non petet, etiamsi occasio se præbeat, ac ne signum quidem vel minimum ejus ostendat; quin potius voce et re ipsa declaret animum se prorsus abhorrentem a talibus habere. Cum pœnitenti jubebit ut missæ sacrificium faciat uspiam peragi, nec recte nec oblique significet quasi velit ipse celebrare, vel in sua ecclesia aut monasterio curare celebrari. Idem faciat*, pergit S. Carolus, *in satisfactionibus iis, quum pœnitens vel debita incerta reddere pauperibus vel pro votorum commutatione aliquid solvere debebit Sed neque pecunias aliave quæ a pœnitente restituenda sunt propriis dominis, in se provinciam reddendi assumat, nisi necessitas id requirat, ut videlicet hoc modo pœnitens non prodatur. Quod quum erit ab eo factum, curet ut is qui rem restituit, chirographum suum in testimonium ei tribuat, ut illud pœnitenti consignet, ac plane eo modo procedat ut omnem speciem ac signum avaritiæ subterfugiat.*

XVI.

Absonum est confessarium adeo prudentiæ suæ confidere, ut credat pœnitentes suis unice consiliis stare debere, sibique soli confiteri posse. E contra, sic agere debet ut pœnitentes intelligant sibi minime displicere quod interdum alteri confessario confiteantur; quinimo istud aliquando suadeat.

Parochi, præsertim si soli sint, semel saltem in anno, occasione adorationis perpetuæ, confessarios extraordinarios subditis suis procurent.

XVII.

Etsi confidamus nullum unquam inter confessarios diœcesis nostræ ad tantam improbitatis abyssum prolapsurum esse, ut hoc saluberrimo sacramento ad suam aliorumque ruinam spiritualem abutatur, tamen necesse est ut omnes attendant ad pœnas statutas per constitutionem Gregorii XV quæ incipit *Dominici gregis*, per constitutionem Benedicti XIV quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ* et per ejusdem decretum diei 15 Augusti 1745, quæ in diœcesi nostra observari volumus ac si hisce de verbo ad verbum inserta forent.

XVIII.

Quum strictissima sit obligatio, jure naturali, divino et ecclesiastico præscripta, servandi secretum quidquid ex confessione cognoscitur, nec ullo unquam casu, vel ipso impendente mortis periculo, liceat eam violare, tametsi id quod revelaretur leve foret, severe injungimus confessariis ut in re tanti momenti sint maxime cauti et prudentes. Quam ob rem nunquam omnino in communibus consortiis loquantur de rebus in confessione auditis, nec præsertim scrupulos et ineptias confitentium, tacito etiam nomine, referant quibus confessio odiosa redderetur.

Dum confessiones audiunt, abstineant a suspiriis, motibus pedum, aliisque, unde adstantes suspicari possent pœnitentem vel gravia peccata confiteri vel

scrupulosum aut difficilem esse. Caveant etiam ne altiori voce loquantur, ideoque si surdastri sint, aut surdos audiant, in sacristia sedeant.

Si verba absolutionis pronuntianda non sint, id ita fiat ut nemo credat absolutionem negari.

Licentiam utendi scientia confessionis a pœnitente numquam petant, nec sponte oblatam sine necessitate acceptent, sed potius rem extra confessionem secum communicari postulent.

Actum Mechliniæ in Congregatione Decanorum habita die 8 mensis Maii anni 1849.

ENGELBERTUS Card. Arch. Mechl.

De mandato Eminentiæ suæ.

A. Genneré Secret.

INDEX.

		Pag.
Editor lectori.		III

INSRUCTIONES S. CAROLI BORROMÆI.

CAPUT	I. Quid in confessario necessarium.	1
	II. De dispositione confessarii.	5
	III. De confessione infirmorum audienda.	8
	IV. De loco audiendarum confessionum.	9
	V. De dispositione prævia auditioni confessionum.	10
	VI. De habitu audituri confessionis.	12
	VII. De habitu confiteri volentium.	15
	VIII. De præparatione animi pœnitentium.	16
	IX. De confessionibus puerorum audiendis.	17
	X. De initio confessionis.	19
	XI. De præteritis confessionibus.	23
	XII. De interrogationibus, postquam pœnitens ea, quæ novit, confessus est, faciendis.	25

PAG.

CAPUT XIII. Quomodo se geret confessarius erga eos, qui habent subditos. 28
XIV. Qui peccent mortaliter in excessu vestium. 30
XV. Qui non sint absolvendi. 32
XVI. De occasione peccati mortalis. 33
XVII. De illis occasionibus peccati, quæ non sunt per se. 35
XVIII. De monitione post confessionem facienda. 39
XIX. De forma absolutionis. 40
XX. De satisfactione. 41
XXI. De testimonialibus litteris auditæ confessionis. 45
XXII. Admonitiones pœnitentium. 46

INSTRUCTIO S. FRANCISCI SALESII.

Prologus. 53
CAPUT I. De confessarii dispositione. 54
II. De dispositione exteriore. 59
III. De interrogationibus quæ pœnitenti proponendæ antequam sese accuset. 60
IV. Quarum se rerum pœnitens accusare debeat. ib.
V. Confessarius sollicite advertat, ne quem absolvat, qui gratiæ Dei sit incapax. 64
VI. Quomodo restitutio et reparatio bonorum et honoris alieni pœnitentibus persolvenda sit. 65
VII. De casibus reservatis, deque con-

Pag.

fessione eorum, qui in evidenti mortis periculo et articulo versantur. 67

CAPUT VIII. Quomodo pœnitentiæ confitentibus sint imponendæ et qualia pœnitentibus consilia danda sint. 70

IX. Quomodo danda sit absolutio. 72

MONITA S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGUORI AD CONFESSARIOS. 74

NOTIFICATIONES S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGUORI AD PAROCHOS, CONFESSARIOS ET SACERDOTES SUÆ DIOECESEOS.

Notificatio prima. 76

Notificatio secunda. 83

Notificatio tertia. 86

REGULÆ PRO CONFESSARIIS EX VITA S. FRANCISCI XAVERII PER HORATIUM TURSELLINUM DESCRIPTA.

§ 1. Confessarii benignitas in audiendo. 91

§ 2 Remedium adversus verecundiam confitentium. ib.

§ 3. Scelesti homines quomodo accipiendi. 92

§ 4. Obstinati quomodo flectendi. ib.

§ 5. Implicati negotiis homines quomodo accipiendi. 93

§ 6. Differenda interdum absolutio. ib.

§ 7. Nutantes in fide confirmandi. 94

§ 8. Mulierum familiaritas periculosa. 95

§ 9. Cum mulieribus caute agendum. ib.

§ 10. Viri potius excolendi quam uxores. ib.

PAG.

§ 11. Viri potius quam uxoris patrocinium suscipiendum. 96
§ 12. Pecunia nulla ratione accipienda. 98

EPISTOLA PASTORALIS ILLUST. AC REV. D. HUMBERTI GUILIELMI A PRÆCIPIANO EPISC. MECH. 12 OCTOBRIS 1692. 99

CAPUT I. De auctoritate sedis apostolicæ. 107
II. De libris prohibitis generatim. 109
III. De lectione S. Scripturæ, item missalis, in lingua vulgari. 112
IV. De impressione librorum. 114
V. De cultu B. Virginis Deiparæ et aliorum sanctorum. 115
VI. De catechismo. 118
VII. De moderatione in concione. 120
VIII. De Sacramento Pœnitentiæ, præloquium. 123
IX. De lenitate confessarii. 124
X. De praxi ecclesiæ moderna. ib.
XI. De dilatione absolutionis. 126
XII. De prudentia in examine. 129
XIII. De satisfactione. 130
XIV. De confessionis frequentia. 133
XV. De sigillo. 134
XVI. De pœnitentiis manifestis. 136
XVII. Decretum vetus coloniense circa superiora. 137
XVIII. De communionis frequentia. 138
XIX. De indulgentiis. 142
XX. De concordia cleri et regularium. 143
Conclusio. 145

Pag.

DECRETUM ILL. AC REV. DD. BELGII EPISCOPORUM 23 APRILIS 1697. 147

ACTA ET DECRETA AB EM. AC REV. D. ENGELBERTO S. R. E. PRESB. CARD. STERCKX, ARCHIEP. MECHL. IN CONGREGATIONE AD. RR. DD. ARCHIPRESBYTERORUM HABITA 8 MAJI 1849. 156

239.7
B 648
Carlo Borromeo, Saint,
16333
~~BORROMEUS S. CHARLES ET AL.~~
AUTHOR 1538-1584
Instructiones de Sacra Poenit.
TITLE
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
ROOM NUMBER
STORAGE - CBPL
16333